

OBSERVATIONES
CIRCA
RADICIS GEI VRBANI,
SIVE
CARYOPHYLLATAE
VIRES
IN FEBRIBVS,
PRAECIPVE INTERMITTENTIBVS
ALIISQVE MORBIS
INSTITVTAE
A

RVDOLPHO BVCHHAVE,
MED. DOCT. SOCIET. MED. HAVNIENS. MEMBR.

HAFNIAE 1781.
TYPIS IOH. RVD. THIELE.



Per varios casus artem experientia fecit.

FRIDERICO

DANIAE, NORVEGIAE

CET. CET. CET.

PRINCIPI HAEREDITARIO

SACRVM.

LECTORI PHILIATRO.

MAGNORUM, quae ſinceri multa abhinc ſecula nunquam non habuere Medici, votorum non minimum fuit illud: *Medicamen, quo febres ſupprimerent intermittentes, inuenire.* In artis ſalutaris infantia infida ſaepius fuere remedia his morbis oppoſita, quare priſcis medicis ea inſidebat fabula, febres vel tardisſime fugari, vel potius naturae permitti debere, et ipſis remediis tutiores eſſe. Sanitas tunc temporis non niſi per naturae benignitatem, aut per ipſius morbi innocentiam, aut per tolerantiam aegri rediit.

Casus hinc plurimi ſiniſtri, diſcrimina multiplicia, immo ferales ſaepe exitus ortum traxere ſuum. Penuriam artis ſuae proinde perſpectam habentes viri boni et ſagaces indefeſſa diligentia totam rerum perueſtigarunt naturam, vt his morbis pertinacibus, eorumque periculis et reuerſionibus auertendis certum et efficax reperirent remedium.

Factitatis per tot ſeculorum ſucceſsionem periculis plurimis, quae fortè euentu non caruere bono, ingens tandem extitit remediorum de febribus triumphantium catalogus a), quae tamen omnia febrifugorum nomine ſalutari non merentur.

Mvl-

a) Horum celebriora fuere tempore Hippocratis hyoſcyamus, mandragora, allium et helleborus albus. Procedente tempore plura indicata ſunt febrifuga: terrea ſic dicta abſorbentia, chamomilla, chelidonium majus, plantago,

Mvltitvdine itaque laudatorum medicaminum febrifugorum obruti medici dubii ſaepe cum Aenea merito exclamare potuerunt:

O ſi ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto!

Secvlo proxime elapſo forte fortuna tandem detectum eſt pharmacum, ſic dic-

tago, coriandrum pentaphyllum, aſarum, bardana, chamaedrys, carduus benedictus, verbena, abſynthium, trifolium fibrinum, ſaluia, nux myriſtica, millefolium, et plura exotica ex amaricantium, aromaticorum, adſtringentium balſamicorum, anodynorum claſſe, radix cicutae aquaticae, ſudorifera potentiſſima, ſtercus caninum, porcinum, anſerinum, bufo ejusque cor toſtum, opiata, ſalia alcalina abſynthii, cardui benedicti et centaurii minoris; media, tartarus vitriolatus, alumen, nitrum, ſal ammoniacum, ejusque elegans volatile; proinde acida, camphora, et quae ex antimonio, marte et mercurio parantur regulinae vel metallicae ſubſtantiae, et ſexcenta alia.

um divinum, Cortex peruvianus, quem nemo non ſapientium vt incomparabile Dei donum agnouit, ſtultus vero calumniis proſecutus eſt. Ante et poſt id tempus in locum hujus peregrini corticis aliud, ejusdem par virtuti, remedium ſurrogandum inuenire annisi ſunt viri ſummi. Trium namque naturae regnorum diuitias multiplices frequenter perquiſiuere, et, tentaminibus inſtitutis, quiuis imaginationi optimum adoptarunt pharmacum, proque febrifugo venditarunt *b*). Sed cum et Mae-

b) Sylvivs remediis ſudoriferis et cardiacis venenum morbi expulit, quem deinde ſecuti ſunt Helmontivs, Screta, Carthesiani que medici; Clvtonvs febrifugum ex ſpiritu ſulphuris, vitrioli, ſalis et vini rectificati, digeſtis et deſtillatis; Lobb ſalia neutra exaltat; a Mortono et Pitcarnio aliisque vetuſtioribus laudata fuit chamomilla, a Valentino centaureum minus, a Ludovico et Verloschnigio gentiana, ab Helvigio et Lentilio cortex fraxini, a Goelikio caſcarilla.

Maecenatibus ſuis et aliis medentibus non fida ſatis manſerunt haec remedia, obliuioni poſtea ad vnum omnia ſunt tradita.

Vt alia taceam multa, mentionem modo faciam extracti Gei riualis, noſtrae plantae affinis, quod ante plures annos ad febres intermittentes adhibitum eſt *c*), ſed pari ſine dubio fortuna, ac Cl. Hevermann in caſtris danicis eadem vſus eſt planta cum multis aliis, vt floribus chamomillae, geranio robertiano, cortice mangles, pocgerebae, hippocaſtani, culilauani

rilla. Dippelivs oleum ſuum animale commendauit; Craanenivs et Rollvagivs febrifugum ex antimonio petiuerunt, et Stahlivs ex croco martis antimoniato. Friccivs arſenicum tuitus eſt; Kergervs febrifugum parauit ex coralliis et cryſtallis tartari; Mvysivs aliique ex ſale ammoniaco. Adſtringentia alii ſubſtituerunt, vt Lanzonvs nuces cupreſſos, Renealmvs gallas, alii alia fortiora adſtringentia fruſtra tentarunt.

c) Linn. Cenſ. med. offic. p. 20.

vani et Winterani; euentu enim frustratus iste ad corticem peruvianum, tanquam sacram anchoram, confugere fuit coactus *d*). Sic experientissimus, jam beatus, Doct. FABRICIVS, Medicus antea clarissimus Nosocomii Fridericiani, dum Hafniae studio medico operam dedi, in medicamine febrifugo detegendo totus fuit, omnes vero conatus laudabiles cum voto non responderunt, experimentorum pertaesus Corticem tandem iterum laete est amplexus;

NOVISSIMIS temporibus Ill. COLLIN sua palam fecit experimenta circa florum arnicae vires, et luculenter probauit, non minimam in febribus fugandis vim floribus hujus inesse plantae; sed cum, vti omnia amara, lente agat, et multi praeterfluant dies, antequam intermittentes euanescant, longo sane a cortice peruviano

distat

d) Bemerk. und Untersuch. 1 B. P. 19.

diſtat interuallo, et aegris longam nimis et taediosſam praebet curam.]

Tam multa et tam magna fuere virorum ſummorum tentamina et pericula, quibus tamen omnibus, iterato quamuis et attente inſtitutis, nullum offenderunt pharmacum, quod corticem exoticum viribus exaequaret, multo minus vinceret, quamuis nulli fuit dubium, quin aliquando detegeretur *e*).

Dum

e) Haud alienum videtur verba adjungere Werlhofii. "Probabile prudentibus quibusdam viris videtur, neceſſarium eſſe, quod, licet optabile ſit, attamen neque ratio phyſica vlla, neque prouidentiae oeconomia experta probat, quodque ante diluuium fortaſſe verum fuit, poſtea amplius non eſt. Exiſtimant nempe, quamlibetcunque regionem ſibi ſuis medicamentis domeſticis ſufficere debere. Hoc ſi ita eſſet, tunc illud quidem remedium, quod ex noſtratibus aequiparari mereatur, longius ab Europaeorum

Dvm medicinam, jam vltra annos tredecim, ruralem feci, pro certo femper credidi, fore, vt in noftris terris medicamen forte detegeretur febrifugum, quod exotico peruuiano non cederet cortici, et nos ab illa neceffitate emendi, futuro for-

orum ingeniorum percontatione hucusque per tot fecula diffitum manfiffe debet, quam vaftus ipfe oceanus, et vltima India eft. Et quid prodeffet nobis ita occultatus a natura thefaurus, qui, licet indigena fit, ferius tamen innotefceret eo, quem alienisfima regio profert? Diuina prouidentia, cujus nos confilia ignoramus, et morbis hominum et medicis, et regionum abundantiae et commerciis, et artium fcientiarumque incrementis, fuos temporis fortisque limites pofuit. Profert forfan Europa non vnum medicamentum, quod viribus corticem aut vincat, aut exaequet. Id vero, fi quod eft, ab oculis animisque noftratium medicorum, licet, circumquaque follicite qvaeritantium, tam remotum ad hans usque aetatem effe permifit Deus, quam quod remotiffimum." Obf. de febribus, p. 49.

fortasse tempore mendicandi, et asportandi illum ab Americanis eximeret, et pauperes, qui ob carum hoc remedium saepius domesticis, sinistre adhibitis, remediis sanitati offendunt, impensis nimiis liberaret. Maxima, quae me tenuit, expectatio hoc inueniendi, me etiam ad experimenta multiplicia capienda impulit.

Plvres igitur exploranti radices inquilinas unica mihi obuenit, cujus virtus ad eam corticis in debellandis intermittentibus non quam proxime solum accedere, vel ei parem esse, sed eam multum superare inueni, quod experimentis jam tum captis et post hac capiendis clare, vt spero, elucescet.

Nomen plantae Ill. *Linnaeo* est *Geum vrbanum.* Ad classem systematicam icosandriam polygyniam pertinet. In vmbrosis arborum et dumetorum habitat, et

in

in hortis ad sepes et muros frequens laete et ultro nascitur, ibique majorem acquirit radicem (*f*).

Floribus gaudet erectis, fructu globoso, hirsuto, aristis uncinatis, nudis, foliis

(*f*) Quamuis satis affatim in dumetis et syluis crescat vmbrosis, radix tamen in terra macra admodum parua euadit, vt operae pretium esset plantarium instituere, in quo radices, pingui commissae humo, in succum et sanguinem verterent amicum alimentum, debitamque in magnitudinem increscerent. Hoc vtile et necessarium esse videtur, si radix probatae virtutis, in multos sane vsus vertenda, copiose colligeretur. Cum igitur in hortis insignem capiat incrementum, haud magni sane sumtus esse video, si in vmbrosis locis, praecipue in pomariis sub arboribus, debite antea praeparata humo, collecta post autumnum semina ejicerentur. Hi loci inculti, aliis commodis nunquam inservientes, haud minimam sic praeberent vtilitatem, cum optimas et summae virtutis radices certissime gignerent.

liis radicalibus lyratis, caulinis ternatis. Planta deflorata et feminibus e receptaculo delapfis, fero auctumno noua radix propellit folia, totam hyemem, etiam fub niue, virentia. Iunior planta fibrofa eft radice; fed annofa praeter fibras etiam crasfiorem, oblongam, conicam oftendit, oblique defcendentem, vt plurimum truncatam, et faepius apice emortuam. Recens transuerfim vel in longitudinem diffecta corticem praebet albicantem, et medullam pulcre violaceam. Sapore gaudet aromatico-caryophyllaceo, leniter adftringente, haud ingrato, et caryophyllum fpirat, vnde forfitan nomen *Caryophyllata*, et quidem vulgaris, (g) ab antiquis inditum. Cum aqua vel fpiritu vini mixta vehiculum colore obfcure rubro tingit, et contrita in pallide rubellum abit puluerem.

Vim

(g) Bauh. *Pin.* 321.

Vim habet, teſte Linnaeo, adſtringentem, pellentem (*h*), aphrodiſiacam et ſudoriferam (*i*), inde vtilem in variola et dyſenteria judicat (*k*). Antacidam ſimiliter dixit; hinc cereuiſiam et ab aceſcentia conſeruari, et fragrantiorem fieri indicat (*l*). Foliorum recentium in podagra infuſum, ſub debito regimine, vt ſudoriferum, et vſus totius plantae externus ad vlcera ſcorbutica et fiſtulas laudatur (*m*). Virtute galegae aequalis, et morbo colico et hyſterico vtilis dicitur (*n*).

Qvantvm me experientia docuit, virtutem poſſidet radix leniter *adſtringentem* et *alexipharmacam.* Ideo ad morbos a fibra laxa natos vi valet adſtringente, et

(*h*) *Mat. med.*
(*i*) *Flor. ſvec.*
(*k*) *Mat. med.*
(*l*) *Flor. ſvec.*
(*m*) Crantz. *Mat. med.* p. 101.
(*n*) Löseke *Mat. med.* Edit. ſec. p. 360.

et a fibrarum adſtrictione, me judice, oritur ſenſus ille *roborans* et reficiens, quem percipiunt aegri, hanc medicinam adhibentes. Indoles alexipharmaca effectum praeſtare videtur *reſoluentem* et *antiſpasmodicum*. Reſoluit enim mucum in viſceribus et ſolidorum interſtitiis haerentem, et lympham viſcidam ſanguini immixtam eorum, qui morbis laborant mucoſis, fitque euacuatio per poros cutaneos. Vis antiſpasmodica ſe exſerit in febribus, neruorum nempe in ſpasmos tendentiam tollendo. His addere licet virtutem *antiſepticam*, quâ eam gaudere certis et poſthac afferendis mihi conſtat experimentis, quaque omnia hucusque nota vegetabilia exſuperare liquet.

Qvo vero pacto in intermittentibus ſpeciatim agit, ita inſcius ſum, ac modi, quo peruuianus cortex ſuam in iisdem exſerit virtutem, cujus agendi modum multi

quidem explicare aggreſſi, ſed, quantum ſcio, nemo adhuc expediuit, et ego non expediam.

Si ex phoènomenis in morbis obſervatis conjecturam facere liceat, ſententiam meam proferam. Ab adſtrictione ſola minime deriuanda eſt virtus febrifuga; quoniam alia ſimplicia non pauca, et ſtyptica vi et inſigni amaritie inſtructa, id non praeſtant aeque feliciter, quod et cortex exoticus et noſtra radix nunquam non, ſi rite cum eis agas, praeſtare certiſſime poſſunt. Ab indole antiſeptica deriuari nequit, nam flores arnicae corticem peruuianum antiſepticitate multum exſuperant, et tamen in febre fuganda eodem longe inferiores ſunt. Immo eo reſpectu ſpirituoſa et acida omnia, maxima antiſeptica virtute gaudentia, praeſtantiſſima eſſent febrifuga, quod tamen experientiae repugnat. Ab alexipharmaca igitur indole

eam

eam oriri admodum verofimile eft. Attamen non videtur effectum edere tam refoluendo vel corrigendo materiam peccantem, quam neruos demulcendo. Tale quid obferuata indicaffe mihi vifum eft. Magna enim pars aegrotantium, hac radice curatorum, et diu cum febre conflictantium, antequam opem meam petiuit, folo hujus pharmaci vfu, absque remedio laxante vel alia quacunque manifefta euacuatione, ftatim a morbo eft liberata, quod fieri nequivit, fi refolvendo vel corrigendo ageret. Praeterea effentiae Gei dofis tempore unius horae ante paroxysmi ingreffum propinata plus fimplice vice fpasmos neruorum, adeoque horrorem et frigus, ita auertit, vt vel nulla febris, vel leuis tantum calor modo obortus fit. Et quoniam hoc in cafu peccantis materiae, vbicunque etiam haereat, refolutioni vel correctioni tam brevi tempore locus non dtaur, ideoque nulli evacutioni vel fudori

infequenti, et fortiffima fudorifera, vt refoluentia fimul confiderata, nomine febrifugorum nunquam digna fuere, neceffe eft, vt febrim vincat in neruos agendo, hisque volatile, anodynum et fpeciale communicando principium, quo demulcentur ita, vt contractiones fpasmodicas illorum, in paroxysmi initio praefentes, pro cujusvis aegri ftatu et remedii dofi, vel reprimantur, vel omnimode avertantur. *n*) Hoc vero problema alii aliter explicent;

(*n*) Annus jam integer exactus eft, ex quo haec cogitata litteris mandaui, de quorum veritate poftea omnino fum conuictus. Deficientibus mihi initio hujus anni radicibus, easdem recentes primo vere, et quidem menfe Martii, effodere et exficcare juffi. Puluerem inde paratum aegrotis tribus, intermittente laborantibus, dedi, qui inde fanati funt, forfitan, quia hi morbi curationem facile receperunt. Eodem tempore patronis et amicis, quibus hujus radicis eximiam nuper aperui laudauique virtutem, pul-

cent; opinionum enim commenta delet dies, naturae judicia confirmat.

pulueris portionem, qua experimenta inſtituerent, ipſe de rei veritate conuictus, miſi. Mox vero virtus mihi cognita ſimul et ſemel euanuit omnis. Intermittentes enim aegrorum, quibus ſum medicatus, etiamſi tres ordinarias doſes porrexeram, corporibus quaſi infixae haeſerunt, meque ad corticem peruv. adhibendum, quod nunquam antea factum erat, compulerunt. Idem amicis, quos fas erat me verſipellem habere, accidit. In cauſam inquirens dubitaui, an juſto citius effoſſae eſſent radices, quarum virtutem medicam calore ſuo reficienti nondum excitauerat ſol; an vero peruerſae eas ſiccandi methode adſcribendus eſſet defectus efficaciae. Tandem cauſa eſt reperta. — Radices recentes, quo citius in pulverem redigerentur, me inſcio, ſuper fornacem admodum calidam nimis feſtinanter exſiccaverat ſeruus, tum temporis pharmacopolae domeſtici vices gerens. Nouis deinde radicibus collectis, riteque torrefactis curationes, vti antea, perquam felices in-

Sexennium eſt, cum prima in intermittentibus tentamina inſtituerim, in quibus radix Gei ſtatim ſpem mihi fecit, fore, vt pharmacum illi peruuiano ſimile in borealibus detegeretur terris. Inceptis vero obſeruationibus varias ob cauſas interruptis, proxime praeterlapſis annis, ſed praecipue ultimo anno praeterito haec, quae fideliter annotaui, et jam in lucem edo, cepi obſeruata, in quibus egregie ſe praeſtitit radix noſtra.

Et primo quidem ſaepius omnem ſuperauit expectationem, quoniam paruula interdum doſis vim morbi totam fregit, ſuſtulit, bonamque praebuit valetudinem.

Praeterea poſt morbum finitum, more alias conſueto, nil omnino hujus vel

ſtitui, cognouique, vitium pulveris in eo conſiſtere, quod aromaticum et volatile principium, ſine quo radicis vſus inutilis, nimio adhibito calore auolauerat.

vel alius medicaminis ad praecavendam recidiuam porrigere fui coactus. Nam recidiuam nunquam vidi, nisi ea vel ex aperta culpa et inordinato aegri regimine, vel ex non satis purgatis primis viis ortum duxerit, quod in centenario aegrorum numero aliquoties tantum mihi accidit, vt remedium non satis laudandum sit (*o*).

Radicem praeterea nostram non parum exaltat, quod tam strictam post ejus, ac post corticis vsum, seruare diaetam non opus est. Quamplurimi, quibus hac radice medicatus sum, et pauperes et rustici, quibus curae cordique nunquam fuit regimen obseruare praescriptum, in libero et frigido aere opera sua fecerunt, omnium-

 que

(*o*) Hinc etiam venit, vt nullam post febrim finitam remedii continuationem in historiis reperias, nam, paucis exceptis, qui morbo longo vires penitus impenderunt, plurimos vigilanti naturae, adjutrici optimae, quo certiores euaderent obseruationes, reliqui.

que generum cibos duros et pingues, carnes, pifces, fale et vento induratos, haleces muriâ condita, lardum, adipem, pluraque ejus farraginis, quae febrem faepisfime reuocarunt, inconfiderate, tamen faepiffime impune deglutiuire. Vitiofum hoc et audax regimen debilibus et delicatulis vt vnquam concederem, abfit; praeteriti enim anni quartanas auctumnales a concepto frigore recurrentes aliquoties vidi.

Qvibvsdam etiam reualefcentibus aliquot dies poft febris emanfionem, tentandi gratia, laxans pharmacum propinaui, fine vllo paroxysmi reditu.

Adhaec venit, vt in omnibus cafibus, quibus radicem oppofui, femper aegris profuerit, nunquam nocuerit.

Qvacvnqve radix detur fub forma, medicatrices fuas feruat virtutes, et eun-

dem

dem ſemper edit effectum. Eſſentiam prius aegris paraui, deinde decocti, et tandem pulueris vim tentavi.

Ad febrem intermittentem depellendam vtplurimum eſſentiae ſeſcuncia, vt ordinaria doſis, requiritur, rarius unciae II. Determinatam hanc doſin tribus vel quatuor vicibus die intermiſſionis cum aquae frigidae portiuncula capere juſſi. Eam certius et efficacius agere obſeruaui, ſi paucis et majoribus, quam ſi pluribus et paruis hauritur doſibus. Sic uncia vna, hauſtu unico ſumta, aliquoties febrem fugauit; ſed guttatim porrecta omni bi- vel trihorio levia paroxyſmi ſequentis ſigna ſaepe reliquit, alia tandem paruula portione delenda.

Ad decoctum parandum radicis ſiccatae drachm. VI. vel vnciam vnam adhibui, vnde febris ſiluit; interdum tamen ſemun-

cia eam depulit. Deficiente mihi ſaepe radice ſicca, e recenti hoc paraui, et tum vnciae tres vel quatuor requirebantur ad febris fugam. Nam quatuor vnciae recentis radicis, euaporatione ad ſiccitatem facta, tres amittunt uncias, et vna reſtat ſiccatae radicis.

Pvlveris drachmae III intermittentem extinguere, et ſemuncia certiſſime hoc facit; attamen vidi, drachmas II hoc ſaepe praeſtitiſſe, et quamuis in vltimo caſu proximus adueniat paroxysmus, lenis vt plurimum eſt, et frigore caret, atque proxima deinde vice vel prorſus emanet absque vllo dato pharmaco, vel, ſi aliquoties redeat, dato nouo pharmaco facile ſilet.

Hoc tamen reticere nequeo, majorem remedii portionem a quartana, diutius protracta, quam a coeteris expoſci, ſi febris euaneſcat.

Ad medicaminum praeparationem et radicem craſſam et fibras adhibui; attamen monendum cenſeo, fibrillas tenuiores

mi-

minoris esse efficaciae ac crassiorem radicem, simulque totam radicem autumno vel hyeme effossam, vti nemini non notum, debiliorem edere effectum, quam ea, quae vere et aestate colligitur, ita vt praeter ordinariam dosin quarta pars ponderis ad eundem effectum producendum requiratur.

In aliis deinde affectionibus saepe vidi pulchrum, quem edidit, effectum. Magno sane fuit commodo aegris, intestina ex diarrhoea vel dysenteria laxa habentibus, et leucorrhoea, colica flatulenta, morbis serosis spasmodicis et hystericis laborantibus. Sanguifluxus sistit, menorrhagiam puta, haematemesin, haematuriam &c. Post febres acutas relictae succurrit debilitati, et vires cito erigit. Tussim conuulsiuam, in quibus experimentum cepi, feliciter sanauit.

Mvltarvm, quas collegi, intermittentium historiarum aliquot modò et simplices adduxi, quia in simplicibus effectus me-

medicaminis ſimplicis optime conſpicitur; his complicatorum morborum paucas modo adjeci, quia aegri plurimi, in quibus tentamina inſtitui, e populo robuſto rurali, qui complicatis raro laborant, deſumti ſunt. Hiſtoriae hinc breves, et ſine omni ſermonis ambage ſunt conſcriptae; plurima enim, vt omnibus artis peritis notiſſima, et intermittentibus communia, in hiſtoriis excluſi ſymptomata, niſi conditio morbi aliter exegit. Taedium parit in re clara nimia prolixitas. Attamen breuitati non magis quam veritati operam dedi; mallem enim me non ſcripſiſſe, quam falſa et mentita aſſeruiſſe, quibus medentes et alliciantur de corio humano ludere, et peroſo adhuc decipiantur modo. Veſtigia ejusmodi ſceleris, eheu! noſtris temporibus expreſſa extant, quod vero inuentoribus vtique dedecori et ignominiae fuit.

His meis experimentis, cum eſſentia Gei inſtitutis, ſimul quaedam in fronte ad-

adjunxi, et afterifcis diftinxi, experimentorum, quae attentis obferuationibus praeftantiffimi *Danielis* Waldstedt, dexterrimi in *Giefegaard* chirurgi, gratus debeo, qui diarium fuum, curationes perquam felices intermittentibus factas continens, ad me officiofe mifit.

Coeterarum aegritudinum, quibus commodo fuit radix noftra, paucas, mihi oblatas, hiftorias opufculi hujus fini appofui, quò inde judicetur, quantam in aliis morbis vtilitatem nobis promittit vfus hujus radicis. Plura in pofterum doceat experientia.

Hoc inuento medicamine, in quamplurimis faltem, fi non in omnibus, quibus cortex peruuianus profuit, morbis et infirmitatibus hoc cortice pofthac carere nos poffe, opinione augufor; ideoque non magnum folum argenti pondus, pro hoc pharmaco acquirendo quotannis latum, pofthac regno et incolis parceri poffe, fed etiam maximum inde redundare iis folamen

men, quibus vanus et nociuus incuſſus eſt terror, et perverſa ſuſpicio injecta de hujus remedii vſu, perſuaſum habeo.

Omnes igitur veros artis noſtrae cultores iterum iterumque exhortatos volo, vt vires radicis qualibet data occaſione inquirant, et effectus ſollicite attendant, non in intermittentibus ſolum, vbi de effectu ſuo bono omnem mihi dubitationem ſuſtulit, verum praecipue in omnibus iis affectionibus, in quibus exoticus cortex hucusque ſalutarem ſuam probauit virtutem, quò clare elucescat, quousque ejus vſus vel extendi vel reſtringi mereatur.

Qvod reliquum eſt, monendum cenſeo, me et nomen genericum et ſpecificum Linnaei in denominanda planta ubique retinuiſſe, quo omnium caryophyllatarum confuſionem euitarem. Alii eam nomine illo antiquo, caryophyllatam, nominent, ſcribant. Sua heic unicuique voluntas.

FOR-

FORMVLAE.

ESSENTIA.

R. *Rad. Gei vrb. vnc. IV*
Conſc. contus. infunde in
Spirit. vin. gallic. libr. II.
M. Digere in balneo arenae
per VI dies et cola.

DECOCTVM.


R. *Rad. Gei vrb. vnc. I.*
Conſc. coqv. cum aqvae ſimplicis lib. Iß ad remanent lib. I.
Colaturae adde
Syr. Commun. q. v.

PVLVIS.

R. *Rad. Gei vrb. ſemunciam*
D. pulveriſat.

ELECTVARIVM.

R. *Pulv. rad. Gei vrb. ſemunc.*
Mell. q. ſ.
M. F. Electuar. molle.



HISTORIAE MORBORVM.

OBS. I.

Senex ſeptuagenarius febre afflictus fuit tertiana legitima per octo dies, quo tempore nil praeter laxans adhibuerat remedium, et ſtrictam a carnium eſu obſeruauerat abſtinentiam. Vocatus 3tio Maij ob linguae impuritatem aliud dedi laxans, et vespero eodem eſſentiae Gei ſemunciam. 4to mane et veſpero eadem vſus eſt doſi, vnde 5to febris ſiluit.

OBS. II.

Virgo quadragenaria tertianam in Iutlandia ante 14 dies cortice abegerat, et jam recidiuam quarta fuſtinuerat vice. 9no Maij purgabatur. 10mo Paroxysmum habuit. 11mo mane meridie et veſpera eſſentiae Gei ſemunciam pro doſi propinaui, et 12mo ne minimum quidem febris adfuit indicium.

OBS. III.

Virgo 24 annos nata quarta vice tertiana laborauerat legitima, cum accerſitus ob linguam albicantem et vomitum purgans pharmacum 21 Julii darem. 22do paroxysmus adfuit ſerius. 23tio eſſentiae Gei ter porrexi ſemunciam, et a febre poſtea immunis vixit.

OBS. IV.

Ancilla annorum 25 paroxysmum tertianae quintum ſuſtinuit 26to Dec. Purgante

gante aluo ducta 27mo, et superato 28vo paroxysmo, incepit 29no adhibere essent. Gei semunciam ter eo die hauriendam, die postero ante constitutum paroxysmi tempus sumsit tantundem, quo leuis tantum cephalalgia cum calore oborta est. Postea bene dormit et cibum appetit a febre liberata.

OBS. V.

Rvsticvs annum 23 agens legitima tertiana afflictus fuerat septies. Purgata aluo essentiae Gei vnciam I dedi bis capiendam; sed male intellecta ordinatione simul et semel die intermissionis totam deglutiuit vnciam, et febrem in fugam vertit.

OBS. VI.

Avriga annorum 30 tertiana legitima tertia affligebatur vice 21 Augusti. 22do aluum laxante moui, et eodem vespere Essent. Gei semunciam, et sequenti

mane, 23tio tantundem propinaui. Ad horam 10mam ante meridiem paroxysmum expectauit, sed loco ejus leuem tantum sentiebat pectoris oppressionem, et ingentem aurium tinnitum, breui cessantem. Proximus dein paroxsymus emansit.

OBS. VII.

Ego ipse, postquam transpiratio 5to Maii justo citius inhibita esset, febre corripior 8vo, qua durante largum prouocaui sudorem. 9no aluum purgaui. 10mo typum monstrauit tertianae. Eodem vespere essentiae Gei potaui semunciam, quam dosin 11mo ter iteraui, et ne minimum quidem febris signum persensi. Postero die carne vescor, et firma gaudeo sanitate.

OBS. VIII.

Ancilla 24 annorum ter sustinuerat tertianam. Lingua pura et omnibus satis

bonis,

bonis, ſtatim Eſſent. Gei vnciam porrexi, vna vice die intercalari hauriendam, et febris ſiluit.

* *　　*　　* *
*　　* *　　*

OBS. IX.

FOEMINA ſeptima vice laborauerat tertiana cum vomitu et liugua ſordida. Poſt emeticum et laxans datum die proximo intercalari adhibuit omni hora Eſſent. Gei drachmam ſemis, vnde paroxysmus fuit mitior, et conſumta poſtero intercalari die eadem portione a febre fuit liberata.

OBS. X.

RVSTICVS 36 annor. per 5 hebdomadas quartana fuit afflictus. Ob vomitum et expanſum abdomen emetico-laxans praebitum eſt. Inter duos paroxysmos

　omni

omni hora Essent. Gei drachma vsus est, et consumta sescuncia siluit febris.

OBS. XI.

Villicvs annos 41 natus tertiana laborauit. Lingua fuit sordida et ingruente febre vomitus. Emetico laxante adhibito, die intercalari proximo omni hora data est Ess. Gei drachma. Paroxysmus sequens lenior fuit, et postero die adhibita eadem portione essentiae, a febre liberatus est.

OBS. XII.

Pastoris infans anni dimidii tertiana corripitur nutrice perfecta gaudente sanitate. Laxans nutrici datum infantis alvum probe soluit. Die primo intercalari nutrici porrecta est Essent. Gei omni bihorio semidrachma, sed febris postero rediit die, quae data deinde ter drachma vna, fugata est.

OBS.

OBS. XIII.

Foemina 36 annorum tertiana fuit afflicta. Praemisso laxante Essent. Gei drachmam I. omni trihorio consumsit, vnde siluit febris.

OBS. XIV.

Villicvs 50 agens annum ter inuaditur tertiana. Purgatis primis viis, die intercalari primo Ess. Gei semidrachmam, et secundo drachmam I. omni bihorio sumsit, sine vlla febris mutatione, tertio verò intercalari data semuncia omni trihorio febrim fugauit.

OBS. XV.

Vxor praedicti villici 47 annor., aliquoties tertiana laborauerat, cum emetico-laxans adhibuisset, quo peracto, primo die a febre libero Ess. Gei drachmam I. omni bihorio deglutiuit, qua portione

etiam ſecundo et tertio vſa eſt ſine paroxysmi remiſſione, quarto vero die omni vice drachmam I. cum dimidia adhibuit, et febre liberata eſt.

OBS. XVI.

Ancilla 21 annos nata vndecima vice tertiana cum vomitu affligebatur. Lingua ſordida duo emetica et totidem purgantia expopoſcit. Bihorio ante febris ingreſſum ſimul et ſemel Eſſ. Gei Vncia I. haurienda traditur, paroxysmus adfuit vix ſenſibilis, et ſequens expectatus penitus emanſit.

OBS. XVII.

Adolescens 14 annorum tertiana laborauit. Emetico ſumto, tribus diebus intercalaribus Eſſ. Gei ſemidrachmam omni trihorio conſumſit, et febris ceſſit.

OBS.

OBS. XVIII.

Rvsticvm 47 annos natum quotidiana 5ta affligebat vice cum nausea et vomitu. Emetico vsus est, vnde febris fuit mitior. Die postero omni trihorio Ess. Gei semunciam adhibuit, et sanitatem est nactus.

OBS. XIX.

Rvstico annor. 44 tertiana sexies laboranti, ob inopiam essentiae, semuncia ejus tantummodo data est, quam vno haustu deglutiuit, et febrim fugauit.

OBS. XX.

Foemina 46 annor. quotidiana 15ta vice cum vomitu et virium defectu fuit afflicta. Datum est emeticum. Die intercalari primo cepit omni hora Essent. Gei drachmam I, vnde paroxysmus et serius aduenit et mitior fuit. Secundo interca-

lari eadem vſa eſt portione et febris receſſit.

OBS. XXI.

Pvervm trimulum corripuit quarta vice tertiana. Eſſent. Gei cochleare parvum data fuit die intercalaris omni trihorio, vnde ſanitati reſtitutus eſt.

OBS. XXII.

Rvsticvs 38 annos natus tertiana inuaditur. Laxante adhibito lingua impurior facta, et proximo paroxysmo junctus eſt vomitus. Emeticum porrigitur. Die intercalari Eſſentiae Gei drachmam I. quauis hora adhibuit, vnde paroxysmus admodum mitis. Poſtero die omni bihorio Eſſent. drachmam cepit, et febris emanſit.

OBS. XXIII.

Virgo annos nata 34 tertiana laborauit. Emetico-laxans porrectum eſt, et die

die intercalari Eſſ. Gei drachmam I. quauis hora adhibuit, inde paroxysmus lenis adfuit. Poſtero die drachmam I. cum dimidia ſumſit, et ſine febri poſtea vixit.

OBS. XXIV.

Faber ferrarius 36 annor. quartanae quinquies ſuccubuerat. Ob violentum vomitum porrectum eſt emeticum, et paroxysmus inde fuit mitior. Quauis deinde hora Eſſ. Gei drachma I. vſus a febre conualuit.

OBS. XXV.

Ancilla 22 annos nata vndecies tertiana aegrotauit. Poſt emeticum omni hora adhibuit Eſſ. Gei drachmam I, et proximus emanſit paroxysmus.

OBS. XXVI.

Rvsticvm annor. 32 quater inuaſerat tertiana. Eſſ. Gei ſemidrachmam ſumſit

omni

omni bihorio duobus diebus intercalaribus, et inde valetudinem eſt adeptus.

* *   *   * *
*   * *   *

OBS. XXVII.

Puerpera 20 agens annum quotidiana per 7 hebdomadas ante partum aegrotauerat, quae etiam hoc exantlato continuauit. Viribus exhauſta foemina debiles habuit ad partum dolores, quare forcipe foetum extraxi, et 4to puerperii die, nempe 20mo Aprilis, tentandi gratia, an Decoctum radicis Gei eundem praeſtaret effectum ac Eſſentia, Decoctum porrexi, cujus dimidium ante proximi diei paroxysmi initium adhibere jusſi, capiendo omni hora vncias II. Paroxysmus inde mitior fuit. 21mo, et reliquo dimidio eodem die propinato, febris 22do penitus emanſit, et aegra deinde optime vires victu reſarciuit.

OBS. XXVIII.

FILIA mea biennis tertiana corripitur, quae poſt quintum paroxysmum in quotidianam tranſiit. Praemiſſis laxantibus, et ob vehementem tuſſim, pectoralibus reſoluentibus, 25to Aprilis Decocti Gei paraui vnc. III, ex quo cochleare caperet quauis hora. 26to leuis adfuit paroxysmus, qua propter eandem iterauit portionem, quae etiam febrim in fugam vertit. Aprilis 30mo quidem reuertebatur febris, ſed pari modo ablata eſt. Poſtea dexterrima vſa eſt ſanitate.

OBS. XXIX.

RVSTICVS, 33 annor. quotidiana per 7 menſes laborans meum petiit conſilium 2do Maii. Valde emaciatum cum oedemate pedum et ſcabie eum inueni, eique dedi laxantem puluerem 3tio capiendum, et Decocti Gei lib. I, vnde cochleare magnum 4to ſumeret quaque dimidia hora

ra ante paroxysmi initium vsque ad dimidium consumptum sit. Postridie leuior adfuit paroxysmus, quo die alterum adhibuit dimidium, et 6to a febre liberatus me adiit, petiitque, vt caeteris suis mederer malis, quo facto, sanus postea vixit.

OBS. XXX.

Textor 40mum annum agens tertiana legitima sexies aegrotauerat. Lingua pura et caeteris in optimo statu, sine purgante praemisso statim dedi Decocti Gei lib. I, quod 15to Aprilis hausit capiendo vnc. II. omni bihorio. 16to leuis adfuit cephalalgia, quae 18vo emansit.

OBS. XXXI.

Rvsticvs 28 annor. quotidianam simplicem per octo dies habuit. Omnes respuit cibos, et linguam habet sordidam. Dato 26to Aprilis laxante, digestiuis et resol-

resoluentibus ad 2dam Maii vsus est, quo die Decoctum parare jussi, ex quo post paroxysmus caperet quauis hora vnc. I. donec diminium sit consumptum. Hoc praestitit 3tio. 4to levior fuit paroxysmus, et reliquum Decocti hausit. 5to euanuit febris.

OBS XXXII.

Vidua 50 annos nata tempore 14 dierum tertiana deceptiua labolauerat sine frigore, sed cum calore continuo, vespera ingrauescente, sub quo vsus rationis abolitus fuit. Lingua sordida, inappetentia, obstructio alui, oedema pedum et crucians capitis, praecipue ceruicis et occipitis, dolor rheumaticus adfuit cum siti clamante, quam aqua frigida fallere conata est pauper. Dies aliquot consumpti sunt in purgandis primis viis, tandem 4to Maii coepit Decoctum adhibere, et omne ante vesperam hausit, omni bihorio unc. II. capiendo. 5to nulla febris, sed intolerabilis rheumati-

maticus continuat dolor nuchae, qui versus vesperam ingrauescit. Perrexit debilissima porro Decocto vti omni 3horio ad 8vum, tum quidem vires et appetentia rediere, sed rheumatismus cruciauit, cui Kermes minerale opposui, et sanitatem aegrae restitui.

OBS. XXXIII.

Ancilla 26 annor. ter laborauerat tertiana. Purgatis primis viis, 5to Junii Decoctum Gei exhibui, eodem vero die, quo hoc vsa est, magnam juris et carnis suillae portionem deuorauit, vnde 6to valido correpta est paroxysmo, qui, noua Decocti portione adhibita 7mo, emansit 8vo. A frigore recidiuam 17mo patitur, 18vo Decoctum nominatum dedi, quod mitiorem fecit paroxysmum 19no aduenientem, et hausta eadem portione 20mo, a febre immunis postea fuit.

OBS. XXXIV.

Adolescens 12 agens annum quotidianam habuerat per tres hebdomadas absque frigore. Bis purgabatur et 5to Septembris Decoctum Gei adhibuit, vnc. II. omni bihorni capiendo, vnde sequenti die ne minimum febris signum.

OBS. XXXV.

Infans anniculus quater tertiana cruciatus est. 21mo Maii aluus laxante soluebatur, et 22do febrem sustinebat. 23tio Decocti vsus est vnc. IV, et 24ta febris euanuit.

OBS. XXXVI.

Servvs 45 annum agens quotidiana quater afflictus fuit 18vo Maii. Eum purgatum fuisse credidi, quod falsum, hinc statim parare jussi Decoctum, cujus dimidium eodem hausit die, et febris die po-

 stero

ftero quamuis filuit, attamen reliЕ̃tum adhibuit dimidium, et fanus manfit.

OBS. XXXVII.

Rvsticvs annor. 28 ter dolorem colicum habuit periodicnm, omni tertio die redeuntem in hypochondrio finiftro. Cathartico 21no Maii adhibito, dolor poftridie conftituto cruciauit tempore. 23tio DecoЕ̃tum haufit, et fanitatem eft adeptus.

OBS. XXXVIII.

Adolescens 10 annor. per nouem dies quotidiana fimplici laborauit. Dato purgante, 11mo Septembris DecoЕ̃ti vncias IX porrexi, quas inter duos confumpfit paroxysmos, et febrim inde fugauit.

OBS. XXXIX.

Adolescens 12 annum agens tertiana per 6 hebdomadas fuit affliЕ̃tus. 9no Septem-

tembris purgabatur, et 10mo Decocto omni bihorio usus est. 12mo leuiter febricitauit. Hinc, an crastino die rediret febricula, incertus, quid pulueris Gei efficeret, auide scire cupiui, ideoque hujus dedi semunciam, 13tio quatuor vicibus capiendam, et 14to febris siluit.

Plura deinde experimenta cum puluere radicis Gei institui, quae omnia voto et expectationi respondebant Horum quaedam afferre et caeteris jungere haud pigebit.

OBS. XL.

Jvvenis 20 annorum ante 3 hebdomadas quotidiana fuit correptus, quam salis communis semunciâ et spiritus frumenti vnc. I mixtis et haustis depulit. Jam iterum eadem febre ter aegrotauerat. 22do Septembris purgante vsus est, et pulueris Gei tradidi semunciam, 23tio

 in-

inter duos paroxysmos quatuor dosibus adhibendam. 24to mihi retulit, se duas solum cepisse drachmas, et, cum febris inde emansisset, reliquas duas parcendas judicauit, quas etiam reddidit intactas.

OBS. XLI.

Foemina 41 annos nata ante tres hebdomadas post partum menorrhagiam passa est profusam, quae, accedente diebus sequentibus ob pauperiem diaeta miseranda, eam viribus prorsus spoliauit, et cachecticam fecit. Jam dolorem incusat capitis et ventris, qui solutione alui vel vrinae emissione valde augetur. Lingua est alba cum oris amaritie. 31 Septembris friguit cum horrore, superuenientibus febris symptomatibus, quod etiam 3tio Octobris accidit, et quartanam indicauit. Praemissis praemittendis, pulueris Gei semunciam dedi, cujus dimidium caperet 7mo, et 8vo

dimi-

dimidium, quouis die ſemidrachmam quatert 9no nulla febris.

OBS. XLII.

Rvsticvs ſexagenarius quartana legitima quinquies afflictus fuit. Lingua pura fuit et caetera bona, exceptis lumbis, quibus tota praeterlapſa aeſtate dolor fixus inhaeſit, cui hoc ſingulari adjunctum eſt ſymptoma, vt poſt motum et laborem, quamuis leuiorem, vrina ſanguinea emitteretur. 6to Octobris paroxysmum ſuſtinuit. Ad febrim fugandam ſemunciam pulueris Gei obtuli, qua 7mo et 8vo vteretur; ſed 18vo retulit vxor, eum male meam intellexiſſe ordinationem, et ideo bis quotidie ſcrupulum adhibuiſſe ſine vlla febris mutatione. Iterum pulueris ſemunciam porrexi, inter duos paroxysmos, 19no et 20mo, quater de die ſumendam, vnde febris 21mo euanuit.

OBS. XLIII.

Vidua 30 annorum viro morte priuata, ob moerorem, inde vltra menſem perdurantem, inappetentiam, vomitum ſpontaneum, variaque ſpasmodica contraxerat ſymptomata, et vires inde penitus amiſerat. Jam 4to die aegrotaueret quotidiana. Varia a Chirurgo praeſcripta adhibuit medicamina, laxantia, temperantia &c. Miſi pulueris Gei drachmas VI, quarum III 23tio Octobris inter duos paroxysmos, et III 24to conſumeret, ſi febris adueniret; ſed tribus drachmis degluritis fugata eſt, et iterum non rediit.

OBS. XLIV.

Jvvenis 34 agens annum febre maligna miſere decubuerat per tres ſeptimanus, quo tempore immanem ſemper incuſabat dolorem, qui ad latus occipitis ſiniſtrum ſedem figerat. Ad hunc ſedandum epithemata, cataplasmata et veſicatoria emplaſtra

plaſtra loco dolenti applicata ne minimum quidem attulere ſolamen, neque Cortex peruuianus, quamuis magna quotidie copia deglutitus, quid contra hoc valuit malum. Declinante morbo indicauit aeger, hunc dolorem verſus veſperam ingraueſcere, et ſomnum adeo neceſſarium impedire, de die autem omnes occupare artus et ſcapulas. Periodicum agnoui morbum. Hinc Pulueris Gei drachmas II. cum melle in electuarium redactas praebui, hocque, antequam veſperaſceret, conſumendum juſſi. Dolor inde emanſit, et nox inſecuta eſt quieta, nec poſtea rediit paroxysmus.

OBS. XLV.

Ancilla 28 annos nata bis tertiana correpta fuit. 2do Nouembris purgabatur, et febrim ſuſtinuit 3tio. 4to pulueris Gei drechma ß omni bihorio porrigitur, et ſemuncia conſumpta, 5to leuiſ-

ſima paroxysmi ſigna adfuere, 7mo febris immunis negotia obiit quotidiana.

OBS. XLVI.

Ivvenis annorum 20, cujus in obſ. 40ma febris hiſtoriae memini, poſtquam ſex ferè hebdomadas a febre vacauit, 9no et 11mo Nouembris eadem intermittente corripitur. 12mo laxante pharmaco aluum duxit. 13mus dies Pulueris Gei ſemunciae vſui deſtinatus erat; ſed accedente iterum paroxysmo, die poſtero, 14to, puluere vſus eſt, et febris 15to abfuit.

OBS. XLVII.

Rvsticvs 56 annos natus per totam aeſtatem doloribus vagis, jam brachia, jam ſcapulas, jam ceruicem, nucham et occiput, praecipue vero cranii partes laterales cum aurium tinnitu miſere fuit cruciatus, ſub quibus tormentis oculorum vitium, amauroſin, prius contraxerat,

et

et dein phlegmatiam et afcitim. Tot tantisque malis perterritus vir 30 Octobris opem meam implorauit. Aluum ducentibus et fquilliticis ab aquis liberatus 16 Nouembris refert, dolores jam a fummo mane ad horam 3am vel 4tam poft meridiem abeffe, tunc vero temporis iterum quotidie inuadere, et ceruicem, praecipue caput, tanta aggredi vehementia, vt noctem infomnem tranfigeret. Quotidianae huic cephalalgiae pulueris rad. Gei drach. II. ordinaui, 17mo ante meridiem quatuor vicibus capiendas; fed duas primas dofes vomitu rejecit, adeoque ante paroxysmi ingreffum drach. I. tantum retinuit, vnde nox pariter inquieta fuit. Poftero 18uo die drach. ij iterum adhibuit et retinuit, inde dolores euanuere, et fomnus infecutus eft placidus.

OBS. XLVIII.

Rvsticvs quadragenarius quotidiana catarrhali per 6 hebdomadas afflictus fuit, quae post venae sectionem in quartanam transiit legitimam, quam me adiens incusat debilis. 9no Nouembris febricitauit, que die semunciam pulueris rad. Gei porrexi, 10mo et 11mo consumendam, drachmam I mane et vesperi ante paroxysmi ingressum capiendo. Dicto obediens 13mo mihi laete annunciauit, febrim emansisse, pustulas et vlcuscula vero in labiis et naribus effloruisse. Vires dein optimo victu erexit.

OBS. XLIX.

Filivs nuper dicti rustici 5ennis vice saepius versa jam quotidiani jam tertiana simplici per 3 hebdomadas aegrotauerat. Ob abdomen expansum laxante pharmaco aluum moui 10mo Nouembris, et postridie,

die, die fcilicet apyrexiae, pulueris rad. Gei drach. II. porrexi, cujus femidrachmam omni trihorio adhibuit. 12mo absque febre vixit, et poftea bona vfus eft valetuuine.

OBS. L.

PVELLA 13 annum agens, pallida et emaciata, per 6 hebdomadas tertiana legitima, deinde quotidiana laborauit. Nulla re contraindicante 17mo Nouembris pulv. rad. Gei drach. II dedi, quatuor vicibus ante paroxysmi initium adhibendas. Febris 6 horas ferius aduenit eadem ac antea propemodum vehementia, excepto frigore. Lingua quamuis pura, abdomen tamen tenfum palpaui, inde aluus 18vo laxante fubducta eft. 19no pulueris iterum drachm. II in Electuario fumfit, et eodem vefpere a febre fuit vacua.

OBS. LI.

Pvella 13 annorum quartanam passa est legitimam per 5 hebdomadas, quae 18vo Nouembris vltima adfuit vice. 19no purgata est aluus, et 20mo sub electuarii forma cepit rad. Gei drachmam I. cum dimidia, et tantundem 21 adhibuit, vnde febris 6 horas retrogressa est, et calore absque frigore manifestauit se 22do. Postea nil adhibuit, et nullam febrim experta est,

OBS. LII.

Rvsticvs sexagenarius quartana legitima per 14 dies afflictus est. Lingua quamuis pura et fastidium cibi satis bonum, laxans, tamen porrexi 20mo Nouembris, et pulueris radicis Gei drachmas II. dedi, 21mo et 22do ante initium paroxysmi adhibendas; sed quotidiano labori intentus in aëre frigido versabatur his duobus diebus, et eisdem vesperis febre

corri-

corripiebatur, tamen absque frigore. Ob tuſſim vehementem cum puris et ſanguinis exſcreatione contractam aluum pharmaco laxante ſubduxi 23tio et 24to. 25to Paroxysmus adfuit. 26to et 27mo pulueris rad. Gei drachmas III, conſumſit, et inde conualuit.

OBS. LIII.

RVSTICVS 50mum agens annum tertiana legitima per 4 hebdomadas poſt auctumnum aegrotauit absque horrore, quae dein in quartanam tranſiit, primo ad horam 4tam veſpertinam, poſtea ad 12mam meridiei aduenientem magno cum frigore, calore et ſudore profuſo. Ita tempore 10 hebdomadum cum febre conflictatus vir debilitatem, anorexiam et oris amarorem incuſat. Cutis eſt flaua et lingua albida. De dolore dorſi et hypochondriorum ſimiliter conqueſtus eſt, quem quidem ante febris initium habuit, ſed qui

qui paroxysmorum inſultibus eum jam ita cruciat, vt indorſo aegre cubare poſſit. Laxans adhibuit 26to Nouembris, quo die paroxysmus veſpera adfuit. Pulueris deinde rad. Gei drach. II. dedi, cujus ſemidrachmam mane et veſpera cepit 27mo. & 28uo. 29no absque horrore leuiter febricitauit, et ſimiliter 2do Decembris. Tribus tunc drachmis pulueris 3to et 4to conſumtis febris euanuit. Color deinde cutis naturalis rediit, et dolor dorſi propemodum inſenſibilis fuit.

OBS. LIV.

Foemina 36 annorum febribus per 5 hebdomadas laborauit, primo tertiana absque frigore, deinde legitima quartana cum magno horrore et frigore. Faciem habet chloroticam, anorexiam et oedema pedum. 24to Nouembris paroxysmum habuit. 25to laxante vſa eſt remedio. 26to pulueris dedi rad. Gei drachm. II,

qua-

quatuor vicibus ante paroxysmi aduentum capiendas; ſed male intellexit ordinationem, quare ſemidrachmam modo quotidie conſumſit, et quamuis febris iis diebus non ceſſit, attamen et leuiores et ſine frigore fuere paroxysmi ſequentes duo, et cibum appetit. Hoc mihi a marito indicato drachmas III porrexi rad. Gei, 2do et 3tio Decembris conſumendas, inde emanſit febris et pulchre reualuit.

OBS. LV.

Adolescens 15 agens annum 2do Decembris quarta vice quartana legitima aegrotauit. Ante aliquot dies pharmaco laxante ſubducta eſt aluus, eſt nullo alio ſymptomate obſtante ſtatim drachmas III. dedi pulueris rad. Gei, cujus ſemidrachmam caperet ter duobus apyrexiae diebus, 3tio ſcilicet et 4to Decembris. Leuiter deinde febricitauit et quidem absque horrore 5to et 8uo, hinc 9no et 10mo iterum

rum drachma III. consumsit et febrim fugauit.

Hic vero aeger in aere frigido quotidie versatus est et praescriptam non seruauit diaetam, velut plurimi genere rustico nati.

OBS. LVI.

Pvella 13 annorum, cujus in obs. LI. memini, rustico labore occupata, et tempore aliquot dierum a summo mane ad seram vsque vesperam aëri frigido exposita, noua corripitur febre 3tio Decembris. Pharmaco aluo purgata 4to, 5to pulueris rad. Gei ʒiij porrexi, quibus consumtis, 6to leuis adfuit calor, paroxysmus vero postea emansit,

OBS. LVII.

Pvella 14 annorum febrili paroxysmo 3tio Decembris corripitur, qui 4to vespera rediit; 7mo eodem tempore iteratur,

ratur, et ſic typum induit legitimae quartanae. 8vo et 9no digeſtiuo et laxante vtitur, et 10mo adeſt paroxysmus. 11mo et 12mo pulueris rad. Gei drachm. III. adhibet, et 13tio febris ne minimum adfuit ſignum.

OBS. LVIII.

Molitor tricenalis menſis tempore legitima laborauit quartana. Nihil praeter emeticum a chirurgo porrectum adhibuit. 7mo Decembris paroxysmum ſuſtinuit, et 8uo aluum laxante ſubduxit. 9no drach. II. pulueris rad Gei conſumſit. Sed cum in mola, vbi omnibus his diebus ſe continere fuit coactus, magnum perpeſſus ſit frigus, 10mo febris eadem rediit vehementia ac antea, 11mo et 12mo pulueris drach. III. vſus eſt, et reualuit.

OBS. LIX.

Ancillam 27 annos natam tertiana ſimplex corripit 8vo et 10mo Decembris. 11mo purgabatur. 13tio toto die in frigido et libero verſata eſt aëre, quare ſera veſpera drach. III. puluueris rad. Gei duobus doſibus deglutiuit. 14to leuis paroxysmus adfuit, et retrogreſſus eſt; labiis et ore interno deinde exulceratis febris fugata eſt.

OBS. LX.

Adolescentula 15 annorum 21 Decembris ſexta vice legitima laborauit quartana, cum me auxilium petendi gratia adiuerit. Remedio purgante aluum 22do moui, et pulueris rad. Gei ſemunciam dedi, quam 23tio adhibuit, et nullam exinde experta eſt febrim.

OBS.

OBS. LXI.

Adolescens 16tum agens annum, quinquies legitima correptus quartana ſub paroxyſmi horrore 20mo Decembris me adiit, conſiliumque petiit. Excepta febre nil morboſi in corpore opſeruaui; ſed ob linguam albicantem primas vias pharmaco purgaui 21mo. Pulueris deinde rad. Gei drachmas III. 22do adhibuit. 23tio febrim ſine horrore ſuſtinuit, et 26to febris acceſſum non ſenſit. Quotidianis laboribus operam nauans, poſt vltimum paroxyſmum exantlatum ſine febris reuerſione in libero frigidoque continuo verſatus eſt aëre.

OBS. LXII.

Coniux mea chariſſima, optima aliàs gaudens valetudine, tempore trimeſti reciproco et inconſtanti attacta fuit dolore, qui in ſpina dorſi paulo infra ſcapulas

locum taleri danici magnitudine occupauerat. Leue hoc symptoma longo spernens tempore, quia dolor non aderat continuo, et nil attulerat molestiae, nullam, praeter aluum mouentem, adhibuit medicinam. Cum vero demum per vices sensim increuerit malum, vespertinis et matutinis praecipue horis excrucians, et interdiu quietum, relicto modò obtuso dolore, tactu vel frictu percipiendo rudiore, quotidiana innoturi partialis, quam, ipsa pentente, Gei radice sum medicatus. Quadripartitas duas sic 9no Ianuarii consumsit drachmas, vnde vespera eadem mitior factus est dolor, quem vna radicis drachma, 10mo capta, penitus depulit. Locus affectus post vsum pharmaci ne duriori quidem tactu doluit.

OBS. LXIII.

Civis puerpera 30 annorum, diu ante partum tussi vexata catarrhali, ob placen-

tam

tam toti orificio vteri accretam ante et ſub doloribus ad partum immodicam paſſa fuerat menorrhagiam, qua, accedente deinde poſt partum forti febre, vires perdidit. Sedato vero morbo, aluoque pharmaco ducta, virium recuperandarum cauſa decoctum corticis peruuiani forte indies ad libr. ß adhibuit; attamen per decem dies ad quintam veſpertinam ingreſſa eſt quotidiana hyſterica. Adueniens ego hora pomeridiana 3tia pulueris radicis Gei ſemidrachmam, et tantundem 4ta obtuli; ad 5tam ſigna perſenſit febris et lecto ſe commendauit. Lenis admodum inde fuit paroxysmus, qui adhibita poſtero die pulueris vna drachma cum dimidia prorſus emanſit.

OBS. LXIV.

Privigna mea 16 annorum febre aegrotauit die 6to Martii. Frigus duas et calor octo durauit horas; vomitus ad-

 fuit

ſuit vehemens et immodicus ſudor. 7mo cathartico purgabatur. 8vo et 10mo paroxysmo aeque forti correpta, digeſtiuis praemiſſis, 11mo pulueris rad. Gei drachm. III. in electuarium redacti adhibuit, et 12mo a febre immunis fuit, puſtula in oris labio ſuperiori erupta.

OBS. LXV.

Privigna altera 18 annos nata 12mo Martii febre cum vomitu, calore et ſudore laborauit. 12mo laxante vſa pharmaco 13tio paroxysmum ſuſtinuit, qui 14to drach. III. pulueris rad. Gei conſumtis, et aure dextra vndeque phlyctenis innumeris exulcerata, 15to euanuit.

OBS. LXVI.

Jvvenis 24 annor. incommoda ſanitatis diutius perſentiens ante octo dies tertiana legitima correptus fuit, quae ſemper ad horam diei decimam aduenit. Poſt quem-

quemlibet paroxysmum probe ſudauerat, et linguam habuit puram. 14to Martii paroxysmum patitur, et 15to pulueris rad. Gei drachm. II. adhibuit, quatuor vicibus captas. 16to leuem habuit febriculam. 18vo vix ſenſibile adfuit frigus. 19no drachm. II. pulu. Gei iterum ſumſit et febrem fugauit.

OBS. LXVII.

Infans meus pene anniculus, tuſſi laborans catarrhali, 17mo Martii hora X antemeridiana improuiſo ecclampſia corripitur. Hoc malum a nutricis excandeſcentia, aliquot horas antè oborta, natales ducere credidi; ſed nocte inter 18vum et 19num nouus ingruit paroxysmus febrilis, vnde tertianam noui. 19no purgatur, et 20mi veſperam adeſt febris. 21mo laxante vtitur puluere. Paroxysmus verſus veſperam 22di redit. 23tio ad promouendam muci in pulmonibus haerentis

excretionem puluis pectoralis cum lacte praebetur. Aluus clysmate aperitur. 24to paroxysmus circa meridiem aduenit. Clysma applicatur. 25to ex drach. II. pulueris rad. Gei et aquae vnc. III. decoctum parare juſſi, quod, addito ſyrupo pectorali, per vices dedi hauriendum. 26to nocte hac aluus fuit liquida. Paroxysmus frigoris ad horam matutinam 7mam adfuit, ſuperueniente ſtatim ſudore absque magno calore. 27mo tempore matutino bis liquidis ſcybalis ſoluebatur aluus; caeterum toto die hilaris decoctum Gei 25to paratum adhibet. 28uo Aluus hac nocte ter liquidis mucoſis ſoluta eſt. Paroxysmus admodum breuis. 29no tuſſim ſaepius affligentem et excrementis continuo mucoſis laxans porrigitur pharmacum, vnde 30mo febris expers fuit. Deinde, iterato laxante 3tio Aprilis, infans natiuum robur et alacritatem ſolitam vſu alcalinorum et amarorum ſenſim eſt adeptus.

OBS.

OBS. LXVIII.

Venatoris cujusdam vxor 52 annos nata sexies habuit tertianae paroxysmum cum forti frigore et horrore, vomitu, calore, sudore et siti clamante. Praemisso vomitorio et laxante pharmaco, 12mo Maii pulueris rad. Gei semunciam dedi; sed drachm. II. modo consumsit et inde perfecte conualuit.

OBS. LXIX.

Foemina rusticana 42 annorum decies cum tertiana conflixerat, cum opem implorauit meam. Nulla re obstante pulueris rad. Gei semunciam ei tradidi, qua 12mo Maii adhibita optime resipuit.

OBS. LXX.

Iuvenis, litterarum studiosus, 15 annorum per duos menses febre fuit afflictus tertiana. Varia domestica adhibuerat

remedia, etiam peruuianum corticem a medico praefcriptum. Deficiente mihi eo loci radice Gei decoctum Corticis peruu. forte adhortatus fum, quo intercalari die exhaufto in quotidianam mutata eft febris, aliquoties redeuntem. Pulueris rad. Gei drachmas II. deinde mifi, cujus vfu ad fanitatem rediit. Ob pallidum faciei colorem bis quotidie femidrachmam radicis per aliquot dies deglutiuit.

OBS. LXXI.

Foemina ruftica, 46 annos nata fexies tertiana, matutino tempore femper ingruente, fuit afflicta. Neglecto omni auxilio et regimine, 5to Iunii laxante purgatur pharmaco ob linguam albam, anorexiam et abdominis expanfionem. 6to paroxysmum fuftinuit. 7mo rad. Gei pulu. femunciam confumpfit. 8uo leuem perfenfit tempore paroxysmi cephalalgiam, quae poftea vna cum febre euanuit.

OBS.

OBS. LXXII.

Infans bimulus quinquies prius tertiana, jam vero quotidiana laborauit. Post alui purgationem 9 Iunii drach. II. pulueris Gei dedi intercalari tempore capiendas, vnde febris recessit.

OBS. LXXIII.

Foemina 54 annor. 5to Iunii de cephalalgia, dolore corporis, praecipue lateris sinistri conquesta est, quibus adjuncta fuit sitis et agrypnia, vsque ad 8uum, quo die horore et frigore fuit correpta, subsequente calore et sudore. 9no et 10 paroxysmus iterum adfuit, Vocatus laxans praescripsi pharmacum; deinde febrem sustinuit 11mo. Pulueris Gei semunciam 12mo capit; eodem die aliquoties vomuit puluerem tamen retinuit, et versus vesperam vomitu rejecit vermem teretem cum multo muco et

sang-



ſanguinis ſtriis; paroxysmus vero emanſit. Deinde continuo adfuit cephalalgia, dolor membrorum omnium cum ſiccitate cutis et cardialgia. Hinc 14to emeticum propinaui, et puluere deinde camphorato adhibito 20m bene valuit.

OBS. LXXIV.

Coniux ſacerdotis puerpera facta 19no Iulii, lochiis et tranſpiratione bene quamuis ſuſtentatis, leuem tamen horrorem 23tio perſenſit cum ſubſequente calore. Laxans 24to ſumpſit pharmacum, quo multa mucoſa ſunt educta. 26to forti corripitur paroxysmo febrili, cum calore vrente et ſudore profuſo. Linguâ pura quamuis viſa decoctum laxans adhibet 27mo; 28uo Paroxysmus. 29no Decoctum corticis peruu. ad febrem ſedandam aegrae praebetur. 29no Paroxysmus aeque vehemens. 30mo pulueris cort. peruu. vnc. I. conſumpſit. 31mo Paroxysmus

cum

cum frigore praecipue pedum, ſubſequentibus caeteris ſymptomatibus febrilibus. 1mo Auguſti drach. II. pulueris rad. Gei porrexi, vnde 2do multo leuiorem paſſa eſt paroxysmum. 3tio ſomnus bonus aegram multum refecit. Inde bis adhibuit drach. ß. Aliquoties vero verſus veſperam oborti ſunt vomendi conatus ob ſaliuam mucoſam et tenacem, in faucibus et ore continue collectam. 4to laxans cum gr. I. tart. emet. praeſcripſi, quo aliquoties ano et ore purgabatur. Febris poſtea expers vixit, et digeſtiuo ſanatur puluere.

OBS. LXXV.

Puella octennis decies quotidiana, ad horam diei decimam ſemper ingrediente, laborans, nullo alio praemiſſo pharmaco, juſſu patris corticis peruu. vnc. ß. adhibuerat 29no Auguſti; febris vero rediit 30mo. Me ſuaſore puluerem laxan-

tem

tem deglutiuit eadem vespera, sed sine effectu. 31mo paroxysmus, et hoc finito venter pulueris alius laxantis vsu ter solvitur. 1mo Septembris paroxysmus ad horam determinatam. Pomeridiano tempore drachm. II. pulu. Gei porrexi; inde 2do leuis admodum pyrexia, hinc iterum eandem pulueris sumpsit portionem, et 3tio febris fuit expers.

OBS. LXXVI.

Pvellam rusticam septennem 12es afflixerat quotidiana, cujus paroxysmi, post meridiem ingredientes, vehementes fuêre cum multo calore et ventris torminibus. 5to Septembris mane ingessit laxans, quod nullum praestitit affectum. Versus vesperam paroxysmus. 6to drach. II. pulu. Gei tempore antemeridiano consumpsit, vnde eodem die euanuit febris. 16to abdominis adfuit meteorismus, sensim

ſim increſcens, quare purgans dedi, vnde venter detumuit.

OBS. LXXVII.

Faber ferrarius 56 annorum, Baccho deditus quinquies ſuſtinuerat tertianam ſimplicem, cum conſilium petierit meum. Nocte inter 6tam et 7mam Septembris paroxysmum cum vomitu habuit. 7ma laxans praeſcripſi, et 6ta puluere rad. Gei vnc. ß vſus ſanitatem eſt adeptus.

OBS. LXXVIII.

Foemina 36 annos nata, a teneris hyſterica, 14 dies morbo afflicta fuit periodico rariſſime vel nunquam obuio. Phlegmaſia ſcilicet laborauit per aliquot dies vulgari; inopinato horá 5ta pomeridiana 20mo Septembris oboritur cardialgia, qua praeſente aberat phlegmaſia; hora 9na veſpertina euanuit iterum cardialgia, et phlegmaſia pedes occupauit. Sic inui-

inuicem haec alternarunt duo ſymptomata, tempus aduentus et abitus, ſupra dictum, rite obſeruantia, et quidem quotidie per 14 dies. Variis a medico ordinario praeſcriptis vſa fuit pharmacis ſine vlla morbi mutatione. Me conſulto, drach. III. pulueris Gei intercalari tempore capiendas adhibuit, vnde dicta euanuêre ſymptomata. Paruam ob hyſtericos motus pulueris portionem, bis quotidie porrectam, dies aliquot continuans deinde ordinaria gauiſa eſt valetudine.

OBS. LXXIX.

Rvsticvs 36 annorum, tertiana ſimplici quinquies laborauit, et vltima vice eam 10mo Octobris verſus veſperam ſuſtinuit. 12mo me adeunti laxantem dedi puluerem ſtatim ſumendum. Paroxysmum deinde verſus meridiem habuit, et pari modo 13tio, ideoque in quotidianam

jam

jam febris fuit mutata. 14to pulueris Gei Vnc. ß. adhibuit, et febrem fugauit.

OBS. LXXX.

Foeminae nobili 32 annos natae, hysteria saepe laboranti octiduum cardialgia omni vespera horam 6tam oborta fuit, subsequente semper nausea et vomitu ingestorum, deinde 4 horas remisit, euanuit. Aluus nuper erat purgata, et sanitas alias illibata. Drachmas III. pulueris rad. Gei obtuli, quibus adhibitis, cardialgia periodica statim siluit.

OBSERVATIONES MIXTAE.

OBS. LXXXI.

Rusticus, cujus in obseruatione 42da memini, vltra 6 menses haematuria laborauerat, quae post minimam corporis motum statim in conspectum prodiit. Sub

cura quartanae, loco drachmarum II. pulueris Gei, quolibet intermiſſionis die capiendarum, ſcrupulum modo vnum bis adhibuit quotidie, et omnibus illis diebus quamuis motu ſe non prorſus abſtinuit, ne minimam quidem ſanguinis guttam in urina emiſſa obſeruauit, neque poſtea, cum hoc ſcribo, tale quid ſenſit.

Atqui iſta quidem viri culpa didici, radicem Gei etiam haemorrhagiis vtilem eſſe, et paulo poſt occaſionem nactus ſum plura capiendi experimenta, nunc dicenda.

OBS. LXXXII.

Viro 56 annos nato ante 6 menſes haemoptyſis ſuperuenit, receſſit iterum, ſaepiusque rediit, quam a grauioribus leuandis corporibus ſe contraxiſſe putabat. Chirurgus venam pedis ſecuit, ac per 10 dies puluerem temperantem cum camphora ingeſſit. In conſilium vocatus,

pulmo-

pulmones debiles, et ſanguinem anaſtomoſi prodire judicans, pulueris Gei ſemidrachmam bis quotidie capiendam juſſi, cujus vſu quatriduo haemoptyſi liberatus eam poſtea non expertus eſt.

OBS. LXXXIII.

Foemina tricenaria haematemeſi laborauit, quam duae in pede venaeſectiones, ſtatim peractae, ſiſtere non valuere. Semuncia eſſentiae Gei exinde data copiam erumpentis ſanguinis minuit, et tempore octo horarum hauſta bis eadem doſis omnino ſanguinis retinuit fluxum, qui deinde non rediit.

OBS. LXXXIV.

Foeminam 42 annorum duo menſes foedauerat menorrhagia, ad quam ſiſtendam varia adhibuerat domeſtica, ſed, his opem non ferentibus, meum petiit conſilium, quare corticem peruuianum et au-

rantiorum cum alumine praefcripfi, cujus pulueris vfu breui ceffauit haemorrhagia, paulo vero poft iterum prorupit plenó riuo. Puluerem deinde Gei porrexi, vnde femidrachmam omni quadrihorio cepit quotidie, et praeterlapfis duobus diebus, priftinae reftituta eft fanitati, qua poftea gauifa eft.

OBS. LXXXV.

Foeminae quadragenariae poft puerperium, ante fesquiannum exantlatum, hoc acceffit vitium, vt menftrua, conftituto alias aduenientia tempore, femper ad 14 dies continuo fluxerint. Puluerem recufanti effentia Gei data eft, vnde omni quadrihorio drachmas II. caperet. Triduo ceffauit fluxus. Suafor exinde fui, vt accedentibus poftea menftruis, et vltra 4 dies profluentibus, pari modo effentia vteretur. Dicto obediens mulier 4ta menftruorum infequentium die effentiam

modo

modo praeſcripto adhibuit, et 5ta ceſſarunt. Procedente tempore menſtruis rite fluentibus ſemper gauiſa eſt.

OBS. LXXXVI.

Foeminae 28 annos natae, puerperio ante 14 dies feliciter exantlato, lochia lege naturae probe fluxerunt; inopinato vero 1mo Ianuarii in conſpectum iterum prodiit ſanguis vterinus, qui 2do et 3tio ſenſim copia ita increuit, vt nocte inter 3tium et 4tum in immodicam tranſiit menorrhagiam. Temperata et refrigerante praeſcripta diaeta pulueris rad. Gei ſemunciam obtuli, vnde drachmam quadripartitam cepit; parcius inde prodiit ſanguis, et adhibita eadem portiuncula 5to, omnino eodem ceſſauit die.

OBS. LXXXVII.

Conivx paſtoris cujusdam 42dum agens annum inordinatis menſtruis, omni pro-

pemodum quatuordecimo die erumpentibus et per octiduum fluentibus diu laborauit. Debilitatem artuum, anorexiam et saepius redeuntes patitur pectoris oppressiones. Pulueris rad. Gei vnc. I. praebui 30mo Maii, vnde quater indies semidrachmam cepit. 3tio Junii cibum bene appetiit, et oppressiones euanuerunt. 14to constituto menstrua adfuere tempore, nec quantitate nec qualitate peccantia, et debitum postea seruarunt ordinem.

OBS. LXXXVIII.

Foemina rustica annor. 40, ante mensem puerpera facta vitam vsque ad 5tum Junii bene egit, tunc autem ex improuiso immodica oboritur menorrhagia vno fluens riuo, vnde mortis celeris timida 8uo Junii meam implorauit opem, quare semunciam pulueris rad. Gei misi, quam 9no et 10ma vsa est, quo vltimo die etiam malum cessauit.

OBS. LXXXIX.

Gravida feptimo menfe, annorum aliquot fupra 20, ante aliquot dies leuem paffa eft menorrhagiam 27mo repente et copiofe ita prorumpentem, vt aliquot horarum fpatio plus quam vnc. 24 vtero effluxerit. Quamuis vteri ori accretam effe placentam vterinam pertimui, adeoque vanam effe medicinae exhibitionem, tamen pulu. rad. Gei femunciam, cum aluminis crudi drach, II. mixtam, dedi, vnde quinquies 27mo Junii caperet femidrachmam. Eodem die profluuium eft multo iminutum, et 28uo prorfus ceffat, et ad puerperium vsque poftea filuit.

OBS. XC.

Virgo annos 44 nata litteris mihi indicauit, fe per plures annos omni tempore matutino jejuno ftomacho tuffi laboraffe ftomachica, et jam per octo hebdo-

mades menorrhagia profusa fuisse afflictam, qua durante a tussi fuit liberata; jam vero viribus quotidie pessum euntibus majorem morbum et mortem timere. Pulueris rad. Gei semunciam misi, 8uo et 9no Augusti consumendam; tinctum in aceto linteum supra os pubis frigide applicandum, clysma, quietem et conuenientem injunxi diaetam. 8uo sensim inde imminuta est menorrhagia, et 9no fluere desiuit. 27mo nuncium misit, menorrhagiam pleno iterum riuo erupuisse, et aliam pulueris dosin expediit. Drachmas illi sex communicaui tribus consumendas diebus. 30mo omni consumpto puluere laete cubitu surgit morbi omnino expers.

OBS. XCI.

Foemina 32dum agens annum post puerperium, ante 6 menses feliciter peractum, leucorrhaea immodica cum artuum debilitate et colore chlorotico fuit vexa-

vexata, cui ſiſtendo medicus quidam purgantia, corticem peruuianum aliaque diu praeſcripſerat, ſed cum nil commodi inde ſentiret, meam implorauit opem, qui primo martialia, et deinde his non proficientibus, eſſentiam rad. Gei experiendi gratia praebui, quae etiam, capta mane et veſpera ſemuncia, rem eò perduxit, vt poſt vſum hujus medicaminis fluor ſenſim minutus ſpatio 14 dierum tandem ceſſauerit, et aegra poſtea perfecta fruebatur valetudine.

OBS. XCII.

Ancilla toroſa, pallida, annos 24 nata, menſtruis quamuis rite ſuo tempore fluentibus, vltra anni ſpatium leucorrhaea benigna quidem, ſed immodica, foedata eſt ita, vt aſthenia, praecipue artuum adjungeretur magna debilitas. Bis adhibito catartico, pulueris rad. Gei ſcrup. I.

 qua-

quater indies cepit, cujus vſu ſenſim imminutus fluxus circa 18mum diem ceſſauit.

Pari modo virginibus chloroſi et leucorrhaea laborantibus ſaepius breui robur corporis coloremque reſtitui genarum naturalem, easque hujus remedii vſu ad ſanitatem reduxi.

OBS. XCIII.

Rvsticvm 60 annos natum diarrhoea vulgaris per octo affecit dies. Viribus exhauſtus ſenex lecto affixus fuit. Lene purgans et emeticum poſtea datum leuaminis nil attulere. Nulla praeſente febre et lingua pura, eſſentiam rad. Gei porrexi, quò effectum radicis in hoc malo experirer. Drachmam ß ter indies cepit, et 3tio poſt inceptum pharmacum die euanuit diarrhaea, et aeger vires brevi ſolo victu reſarciuit.

OBS.

OBS. XCIV.

VILLICVS torosus, 56tum agens annum valetudine mutabili, ob ventriculi et intestinorum debilitatem, semper vsus, per aliquot septimanas ructibus pene continuis, non leuantibus, fuit obnoxius, quibus tandem epigastrium inflatum, gastrodynia, anorexia, respiratio difficilis, vigiliae, pulsus debilis et tremor manuum accesserunt. Lecto debilis tenebatur. 17mo Decembris clysmate praemisso laxans rhabarbarinum dedi, deinde saturatum praescripsi decoctum, quod corticem peruuianum, rasuram ligni Quassiae et spiritum lauendulae compos. excipiebat, vnde quater indies vncias II. hausit. Sub hujus vsu tolerabilior quidem fuit per aliquot dies morbus; improuiso tamen iterum recruduit 22do, et similiter 24to, quo die puluerem rad. Gei obtuli, vnde semidrachmam caperet ter quotidie. Post pulueris doses duas statim se melius habuit, flatus per

anum

anum prodierunt, robur deinde et pulſui arteriarum et ventriculo rediuit ita, vt cibum auide 27mo appetierit; puluerem, cujus ſe non diutius indigere putauit, ſepoſuerat, quem tamen, me ſuadente, per aliquod tempus adhuc continuauit, et inde ſanus fuit.

OBS. XCV.

Vir aliquot ſupra 40 annorum longo tempore flatulenta continuo affligebatur colica, cui ſaepiſſimè incaſſum oppoſuerat catartica, dato vero mane et ſero ſcrupulo I. pulueris rad. Gei, intra 10 dies a morbo conualuit, bona poſtea vſus valetudine.

OBS. XCVI.

Ancillae 62 annorum, poſtquam menſtrua ante 12 annos ceſſarunt, ſaepius colica, vomitus, et lipothymia incommodo fue-

fuerunt. Primis purgatis viis ſcrupulum I. pulueris rad. Gei indies cepit, et intra octiduum dolorum expers, ſanitati reſtituta eſt, quod poſtea, duobus, jam praeterfluxis menſibus, dum hoc ſcribo, continuauit.

OBS. XCVII.

Rvsticvm ſeptuagenarium, viribus ſpoliatum, colica corripuit flatulenta cum dyſuria et alui adſtrictione. Clysmatis applicationem repudianti tartari cremoris puluerem cum rhei vna tertia parte praeſcripſi, vnde ſemidrachmam quater indies cepit, qui et aluum ſoluit et vrinae fluxum primis bene promouit diebus, et ſaeuum mitigauit morbum; 3tio vero die eadem rediere mala. Tunc pulueris rad. Gei et cremoris tartari anaticas miſcui partes, dedique ſemidrachmam quater quotidie. Vſu hujus remedii mollimentum cruciatuum primo perſenſit die, et 2do omnia

eua-

euanuere affligentia ſymptomata; attamen, ne recrudeſceret malum, aliquot dies puluere vti perexit.

OBS. XCVIII.

Foemina 30 annorum ante annum abortum paſſa eſt, quod malum 5 abhinc menſes iterum accidit cum maxima et per menſem continua menorrhagia, qua, fractis viribus, infirma et aegra vſa eſt valetudine, et deinde iſchias rheumaticum ſiniſtri femoris contraxit. Ante octiduum rheumaticus latex in ſpinam dorſi aſcendit et inter ſcapulas praecipuam fixit ſedem; oborta eſt ſimul diarrhaea et colica, qua nocte dieque miſere afflicta fuit aegra. 30mo Decembris puluerem ſumſit rhabarbarinum: inde ſedata eſt 31mo diarrhaea, et colica ſiluit; ambo vero pari vehementia recruduere 1mo Ianuarii, et epigaſtrium fuit tenſum. Veſpera eadem pulueres II. qui ipecacuanham continebant, porrexi,

rexi, vnde leuis excitata eſt vomitio. 2do nocte bene dormiuit, et mane omnia quaſi euanuiſſe mala dixit. Roboris ſolidorum erigendi gratia pulueris rad. Gei ſemidrachmam quater indies capiendam injunxi. Verſus veſperam lumbaginem incuſat. 3tio menſtruata nil adhibet. Nocte inter 4tum et 5tum diarrhaea et ventris tormina menſtruis aſſociata rediere. 5to quamuis menſtrua fluunt, ſcrup. IV. pulueris rad. Gei tamen adhibuit. Aliquot doſes captae alui fluxum et tormina ſenſim ita ſedarunt, vt veſperam et ſequentem noctem quiete tranſiuit. 6to menſtrua ceſſarunt, aegra optime ſe habet, de nullo malo conqueſta, et puluerem, me inſcio, ſeponit. Cum vero 7mo leuis adfuerit lumbago, quae 8uo increuit cum epigaſtrii inflatione, pulueris vſum repetiit. 9no de leuiori malo queſta eſt. Aluus libera. 10mo Nox fuit quieta et omnia dicta euanuere mala; in pulueris tamen vſu perrexit ad 16tum omnium malo-

malorum expers; tunc temporis vires et corporis robur mire increuerant.

OBS. XCIX.

Vir ſexagenarius, ſemper felici vſus valetudine, quamuis antea Baccho deditus tempore 9 menſium de lumbagine et ischiade arthritico et rheumatico conqueſtus eſt. Conſultis diu aniculis et chirurgis, auxilium implorauit meum 14to Decembris. Dolores denominati tunc increuere ita, vt in dorſo jacere nequiuerit, ſiniſtrum femur infirmum et pedem oedematе tumidum, et ſtupore immobilem, leuare non valuerit. Febris, ejusque pediſſequi aderant; lingua pura erat, et obſtructio alui clysma poſtulauit. Die poſtero laxante ſoluta eſt aluus, et varia deinde, ſymptomatibus conuenientia adhibuit remedia ſine vllo leuamine. 28uo diarrhaea oboritur, cui ſedandae Rheum, Ipecacuanha aliaque idonea praeſcripta ſunt

reme-

remedia, ſed diarrhaea et ventris tormina ſub vſu horum ita ſunt adaucta, vt 2do Ianuarii in acraſiam tranſierit, quae vno tenore in 5tum continuauit, quo die aegrum pene continuo et frequenti ſingultu ab inanitione correptum, viribus exhauſtum, febrem auctam, linguam rubram et ſiccam inueni. Quid Gei radix hic efficeret ſciendi cupiditate ductus, vnciam I. pulueris dedi, vnde illa veſpera bis ſemidrachmam, et ſequenti die, ſc. 6to, quinquies cepit. Hoc die ſenſim minuebatur alui fluxus, et nocte inſequenti prorſus ceſſauit, ſingultus multum remiſit, rariusque aduenit, cum antea per multas continuo inquietauerat horas. 7mo, me abſente, puluerem demiſit. 8uo nil adhibuit, veſperi vero ob ſingultum leuiorem Laud. liqu. gtt. XV. dedi et pulueris vſum injunxi. 9no lenis et aequabilis tranſpiratio cutis prorupit; ſingultus prorſus emanſit, et nox quietè et ſedate trans-

 acta

acta eſt, cum plurimas antehac noctes inſomnes conſumſerat aeger. 10mo omnia, excepto pedis oedemate, in melius vertuntur; bona tranſpiratio. 12mo cibum appetit. Diuretica leniora pulueris vſui adjunxi bonum expectans euentum, quod etiam, quamuis tarde, fiebat.

OBS. C.

Stabularius 40 annorum, robuſtus alias et vegetus per menſem vehementi afflictus fuit cardialgia concomitante et ſubſequente vomitu et diarrhaea cum ſtriis ſanguinis in excrementis; et pyrexia moderata. Longum conſumpſit tempus in laxantibus, mixturis ſalino-camphoratis, oxymelle, ſapone, extractis amaris, reſoluentibus et tandem cortice peruuiano, ſub forma fluida continuo adhibitis, quia medicamina vel cibos aliqualis conſiſtentiae ſine cardiae aucto dolore, et vomitu ſubinde oboriente, perferre nequiuit. Tandem

dem maximo dolore 3tio Iunii ſedato, et corpore viribus exhauſto, etiam poſt multum et diuturnum corticis vſum pulſus tamen febrilis eſſe continuauit. Pulverem tunc rad. Gei adhortatus ſum, cujus quater quotidie drachmam ß deglutiuit. 9no pulſus naturalis, ſomnus bonus, appetitus cibi major, minor poſt captum cibum ventriculi dolor, nulla ſitis, et poſt pulueris ingeſtionem flatus ano et cato effugiunt. Vſum pulueris deinde continuauit aſſidue, vnde vires quotidie ita increuere, vt 15to maximam diei partem extra lectum ſe continuerit, et 19no a pulueris deſtiterit vſu.

Ex his paucis adductis hiſtoriis concludere licet, quanta vi ad haemorrhagias, ab anaſtomoſi ortas, leucorrhaeam, chloroſin, diarrhaeam, colicam, ſpasmos valet radix Gei. Plurima minoris momenti exempla afferre ſuperuacaneum puto; ex-

perientia tamen multiplici edoctus non possum non affirmare, in colica et gastrodynia flatulenta me nullum praestantius hac radice vidisse remedium. Nam et ructus bene promouet, et flatus per intestinorum anfractus maximo murmure breui propellit, et ad ostium naturale deducit. Intestinis deinde debilibus tonum et vim non modo ad resistendam expansionem majorem ab aëre elastico certo certius futuram restituit, praebet, verum etiam maximum ad eandem auertendam robur largitur. — Systemati neruoso cum admodum amica sit, praesentissimam exhibet omnibus speciebus hysteriae laborantibus medicinam. — In dysenteria epidemica rure ante quatuor abhinc annos grassante aliquoties sub forma pulueris hoc tentaui medicamen. Praemissis euacuantibus necessariis, tormina ventris sensim sedauit, et alui frequentes dejectiones breui sustulit, vt nullus dubitem, quin

aegris,

aegris, hoc decumbentibus morbo, maximo foret leuamini, si plura fiant pericula, quae mihi hucusque defuere. Obseruationes enim, tunc temporis institutas, litteris non mandaui, ideoque eas nunc afferre nequeo.

OBS. CI.

Ancilla vegeta, 17 annos nata, menstruis fluentibus iter longum pedibus institutum emetita 13tio Augusti, et motu et solis calore multum sudans, domum versus vesperam reuersa epilepsia est correpta. Enemate adhibito paroxysmus cessans 14to recurrit multa cum vehementia. Post Clysma remittit aliquod horas morbus, sed de nouo iterum ingreditur. Venae sectio pedis deinde malum mitigauit. 15to cephalalgiam et membrorum dolorem incusauit. 16to paroxysmus mitior ingruit, et similiter 19no, nocteque subsequente. 20mo in consilium vocatus sta-

tim venae sectionem, et 21mo laxans praescripsi, Versus vesperam paroxysmus. 22do pulueris rad. Gei vnc. ß dedi, vnde quater quotidie scrup. I. cepit, et ex morbo perfecte conualuit.

OBS. CII.

Ivvenis 36 annorum initio veris detrimenta sensit sanitatis, ob injucundam, vt ipse putabat, apud dominum nimis seuerum, transactam vitam. Toto eo temporis spatio, quod tres menses impleuir, continua torquebatur colica, quae in epigastrica regione praecipuam fixerat sedem, ita vt etiam externe dolorem intulit palpatio abdominis, adjunctis simul anorexia oris amaritie, corporis macie et animo dejecto. Tart. solubilem, Cortic. peruuian. cum Rad. Rhei, eff. Cort. peruu. et Animam Rhei a medico praescripta per II. adhibuerat menses sine vlla valetudinis mutatione. 24to Augusti me adiit,

opem-

opemque petiit; oblata igitur pulu. rad. Gei vnc. ß, 25to. et 26to consumenda, dolores iisdem diebus quieuerunt, amarities vero oris major apparuit. Tribus subsequentibus diebus, seruitio obstante, nil adhibuit, vnde reuersi sunt dolores, aegrumque me repetere coëgerunt. Vnc. I. tunc pulu. Gei 30mo ei impertita est, quatuor diebus ingerenda. 3tio Septembris colica euanuit omnis, et sola anorexia cum oris amarore superfuit. 4to laxante purgabatur pharmaco, et à 5to ad 8uum vnc. I. pulueris Gei consumpsit, et perfecta gaudebat sanitate.

OBS. CIII.

Virgo 18uum agens annum per 6 hebdomadas pene quotidie, incerto tamen tempore, vomitu, praecedente cephalalgia, laborauit; nulla eruenda erat causa huic symptomati ansam praebens, nisi irritabilitas et spasmus ventriculi singula-

ris; nam catamenia quamuis rite fluxêre, lingua erat pura, cibi appetitus haud abolitus, nulli vermes, attamen plurima, quae aſſumpſit, nutrimenta vomitu rejecit, et inde pallida, macilenta euaſit. Aluus aliquoties antea fuit purgata, et 28uo Augusti vltima vice pharmacum laxans ſumpſit. 29no drach. II. pulu. Gei adhibens circa meridiem cephalalgiam habet et ſemel vomuit. 30mo eandem pulueris portionem reiterans verſus meridiem colicam et cephalalgiam incuſauit, quas inſecuta ſunt catamenia; attamen omnem deglutiuit puluerem ſine vomitione. 3tio Septembris catamenia fluere ceſſarunt, et ſymptoma vomitus non apparuit ante 13mum, quo die ſemel et 14to aliquoties vomuit, habuitque cephalalgiam. Lene deglutiuit laxans. 15to poſt noctem inſomnem mane vomitus et pyrexia parua. Pulueris Gei drach. III. adhibuit ſine vomitione. 16to drach. II. et tantundem 17mo vſa eſt.

eſt. 19no ſemel vomuit absque cephalalgia. 21mo male habuit, et plus pulueris experiuit. Vnc. ß deinde biduo conſumpta cibum ſolito modo cepit, retinuit, digeſſit, nauſea et vomitu liberata.

OBS. CIV.

Foemina ruſtica, aliquot ſupra 40 annos nota, a longo tempore hyſterica, et plurimorum liberorum mater, 1mo Septembris me adiens de cephalagia periodica; vertigine continua, lipothymia ſaepius ingruente, aſthenia, memoriae debilitate, anorexia, agrypnia, alternisque frigoris et caloris mutationibus conqueſta eſt. Pulſus fuit debilis et lentus. Adhibito ſine effectu laxante pharmaco, 2do pulu. Gei adhibuit drach, III. Nox ſequens quietum praebuit ſomnum, dixitque caput leuatum, et frigoris ſenſum abeſſe. 3tio drach. III, pulueris ejusdem repetiit. 4to et ſequentibus diebus mane et ſero

ſcrupulum I. capere continuauit, donec vncia I. eſſet comſumta, quo tempore ſymptomata ita ſunt remota, vt 1610 mihi ſe laete ſiſtens de nulla re amplius ſit conqueſta, ſanaque eſſe perrexerit:

OBS. CV.

Vir ſexagenarius, felici pridem vſus valetudine, 4 annorum tempore vertigine laborauit hypochondriaca, incerto tempore et ordine oboriente, eaque ingruente cum ſenſuum obſcuratione in terram cadit aeger; calor deinde totius corporis profuſiſſimum emittit ſudorem, horam circiter vnam perdurantem, deinde, mutato induſio, muniis ſuis aſſuetis obit. A medico conſilium cepit ante triennium, vt venam aliquoties annuatim ſecaret, et pharmacis ſaepe vteretur aluum laxantibus; deinde conſilio chirurgi purgantia repetita et anodyna tentauit. Haec vero cum nil commodi praeſtarent, morbus immutatus manſit. Initio

Sep-

Septembris laxante puluere aluum moui, quo die paroxysmum habuit lipothymicum; poſtero die pulueris rad. Gei ſcrup. I. ter cepit, et ſequentibus diebus eandem portiunculam capere perrexit. Praeterfluxis inde 6 diebus leuem paſſus eſt paroxysmum, tamen citra calorem et ſudorem. 16to venam ſecare ſiuit, et vſum pulueris aſſiduus pergit. 26to nullus hucusque paroxysmus. Bis modo puluerem capit. 15to Octobris a paroxysmo adhuc immunis, et poſtea ita permanſit.

OBS. CVI.

Ancilla plethorica, 19 annorum, epilepſia a pathemate menſis initio Septembris corripiebatur. Poſt vomitorium et catharticum bis adhibitum euanuit paroxysmus. Praeterlapſis vero 4 hebdomadibus morbus recurrit omni veſpera, in multam noctem vsque perdurans. Primis purgatis viis, pulueris rad. Gei ſcrup. I. om-

I. omni trihorio sumsit. Postero die leuior fuit paroxysmus, cujus nulla postea apparebant vestigia. Attamen pulueris drachmas VI. subsequentibus adhibuit diebus, quae fortem excitarunt transpirationem, inde plena gaudebat sanitate.

OBS. CVII.

Foemina 39 annorum per biennium valetudinaria et hysterica doloribus colicis cum vomitu ante menses 14cim fuit afflicta, qnae mala, adhibito medicamine quodam interno et vnguento ad vmbilicum applicato, recesserunt, et iterum per vices redierunt. Me 30mo Octobris advocato symptomata haec hysterica vltima hac vice totum perdurauerant mensem. Malum initium cepit doloribus colicis in infimo ventre, sensim sub costas et in cardiam adscendentibus, vbi sedem tenuit fixam, donec vomitus exitaretur, quo omnia ventriculi contenta rejecta sunt; par-

uum

uum tunc relinquebatur interuallum temporis, quo ceſſarunt dolores, alias, vomitu non inſequente, vno tenore continuati. Tempore antemeridiano mitiores poſt cibum captum, praecipue verſus veſperam increuere cruciatus. Excretiones naturales bene ſemper proceſſerunt. Decocti rad. Gei lib. I. parare juſſi, cujus maximam partem eadem veſpera citra vomitum conſumpſit, multò mitiores fuere dolores, et nox ſatis tranquilla. 31mo eandem decocti portionem quamuis adhibuit, tamen verſus veſperam cruciatus vomitum excitarunt. 1mo Nouembris decocti vnc. I ℥. omni 3tia diei hora capere continuat. Laudanum liquidum mane et ſero. Nullus vomitus. 3tio dolores mites raro adueniunt, noctu bene dormit, cibum appetit, retinet, digerit, aluus ſponte reſeratur. 6to ſtatus morbi continuo in meliorem vertitur. 10mo cubitu ſurgit

ema-

emaciata et pallida Martis robore deinde ad ſanitatem reducta.

OBS. CVIII-CXI.

Pveri quatuor a 2 ad 8 annos nati, et parentum paupertate preſſi, diu tuſſi vehementi conuulſiua miſere laborarunt; et omnem cibum euomuere. Cum antea ſaepiſſime vidi, vomitiones intermittentibus aſſociatas vſu radicis *Gei* facillime euanuiſſe, apud animum ſtatui experiri, quantum in hoc morbo valeret Geum, ideoque, nullo alio praemiſſo medicamine, 15to Iunii parare juſſi decoctum vnde pro aetatis ratione caperent omni bihorio ſemunciam vel vnciam. 28uo tuſſis mitior eſt in tribus aetate grandioribus, qui jam cibum absque vomitu retinent et bene digerunt. Aetate minimus adhuc tuſſis violentia cruciatur, quare ei 19no et 20mo emeticum mane porrectum eſt. Decoctum porro omnes ſumſerunt ad 29num, quo die eos in-

inueni vegetos; tuſſicula raro infeſtauit, viresque ſolo victu celeriter reſtaurarunt.

Curatione tam felici peracta, plura in hoc morbo experimenta inſtituere exoptaui, occaſio vero defuit; tandem menſe nuper elapſi Decembris puerorum trium familiarum curatio mihi fuit comiſſa, tum ſequentes cepi obſervationes.

OBS. CXII.

Pvella II. annorum tuſſim omnibus terrificis ſymptomatibus ſtipatam per 6 habuerat hebdomadas; ſtriae praeterea ſanguinis cum ſputo rejectae, et omnis pene aſſumtus euomitus eſt cibus. 13tio Decembris emeticum, et 14to laxans adhibuit. Electuarium rad. Gei incepit vti veſpera 15ta, ſcrupulum I. pulueris pro doſi quater indies ſumendo. 17mo nil ſanguinis exſcreatur; tuſſis moderatur. 19no vehementiae eſt minoris absque

vomi-

vomitu. 28uo fenfim minutior facta raro infeftat. 30mo pulchre reualens aegra, cum leuiuscula modo adfit tuffis a medicina abftinet.

OBS. CXIII.

Frater nominatae puellae 7 annorum non miniori tuffis violentia cruciabatur, nam multum quotidie e pulmonibus fluidi profufum eft fanguinis, et affumta e ventriculo rejecta funt. Lene ipfi porrectum eft emeticum 13tio Decembris, et 14to aluum mouens pharmacum. 15to electuarium rad. Gei adhibere incipit, et pulueris gr. XV. quater quotidie capit. 27mo nullus fanguis educitur cum fpucto, et minori vehementia tuffit. 19no rarior eft vomitus quam antea. 28uo minuta quidem eft tuffis; fed, cum medicamentum per octiduum refpuerit, parum modo accepit, et vehementius ac foror tuffi corripitur. Capto deinde impigre electuario,

rio, 30mo violentia remiſit tuſſis, 5to minuta multum eſt, et 9no medicinae hac vice valedicit.

OBS. CXIV.

FRATER minor, natus 5 annos, ſine praegreſſa euacuante medicina, cum inter ejus domus natos vltimò tuſſi afflictus fuerit, electuario vti 20no Decembris coepit. Symptomata hinc mitiora 24to multum minuta ſunt. 30mo leuior adeſt tusſicula et nil adhibet.

OBS. CXV.

PVELLA ſeptennis vehementer per 14 dies absque vomitione tuſſit. 16to Decembris emetico, et 17mo laxante vtitur. 18uo pulueris Gei gr. XXV. in electuarium redacta quater indies cepit. 20mo tuſſis non ita vehemens ac antea. 28uo rarior eſt. 3tio Ianuarii leuiuſcula inter-

dum aduenit. 5to rariſſima. 8uo nullam medicinam poſcit.

OBS. CXVI.

Pvella ſexennis maxime omnium per dies 14 vehementer aegrotauit. Praemiſſo 16to et 17mo Decembris emetico et laxante, vti ſoror nuper dicta, pulueris Gei gr. XXV. quater aſſumit 18uo. 20mo tuſſit absque vomitu. 23tio vomitum excitaui. 28uo ob tuſſis violentiam emeticum iterauit. 30mo multum remiſit tuſſis, attamen emetico vſa eſt. 3tio Ianuarii mitior eſt, tamen emeticum propinaui. 5to raro inuadit, et breui ceſſat. 9no bis tantum electuarium capit. 12mo rariſſime ingruit leuiſſima tuſſis. A medicamine abſtinet.

OBS. CXVII.

Pver quadrimulus per 14 dies impetuoſe, tamen absque vomitu tuſſit. Euacuan-

cuantibus adhibitis, 18uo Decembris pulueris Gei ſcrupulum I. quater indies deglutiuit. 20mo moderatior eſt tuſſis, et 28uo mitis admodum. 2do Ianuarii rariſſime et leuiter tantum tuſſit, et 5to medicamine non indiget.

OBS. CXVIII.

Pver trimulus acerrima violentia ſaepiſſime tuſſit cum vomitu per 14 dies. Ventriculus et aluus 16to et 17mo Decembris ei arte mouebatur. Sub electuarii forma pulueris Gei gr. XV. quater deglutire coepit 18uo. 23mo ob tuſſis vehementiam a datò emetico vomuit, et ſimiliter 28uo, quamuis hodie multum remiſit. 30mo vehementer ſatis adhuc, praecipue nocte eum aggreditur, ideoque vomitionem emetico iterum excitaui, et eandem repetii 3tio Ianuarii, quamuis jam rara eſt. 5to rariſſime aduenit, et celeri-

ter transit. 9no medicinae jam bene valens valedixit.

OBS. CXIX.

PVELLA bimula, modò dictorum soror, leuiori quamuis laborauit tussi, attamen, ne in conuulsiuam verteretur, veritus, eandem ei ac caeteris adhibui curam. Hinc 16to et 17mo Decembris vomuit et aluum mouens pharmacum sumsit, et pulueris Gei gr. XV., in electuarium redacta, quater quotidie capere caepit 18uo. 20mo tussis adhuc mitis. 21mo febre correpta est cum calore et siti. 22do purgata est. Ab eo tempore ad 28uum nil adhibuit praeter diluentia et temperantia, et emeticum hodie porrectum; nam tempore eo, quo durauit febris, multum accreuit tussis, et saepius nunc vomitione finitur, deinde electuarium, vti antea, continuauit. 30mo et 3 Ianuarii emesin ob vehementen tussim, excitaui, quamuis

nunc

nunc absque vomitu eſt. 5to rarior eſt tuſſis, et incepta ſtatim tranſit. 9no bis tantum electuario quotidie vtitur, et leuior adeſt tuſſicula. 12mo adueniens, vſum electuarii non poſtulare morbum cenſui, eumque demittere juſſi.

OBS. CXX-CXXIII.

In alia domu 4 fuere nati, qui ſpatio 5 menſium cum conuulſiua conflixerant tuſſi. Omnes pallidi et macie confecti; omnia ingeſta pene euomuerunt. Minimo natu ſanguis, dum tuſſis vrgebat, e faucibus prodiit. Horum 24to Decembris curam mihi concredidere parentes, qua ſupra deſcripto inſtitui modo. Purgationes et vomitiones ab initio exhibitae, pro re nata et tuſſis vehementia, iteratae ſunt deinde omni 3tio vel quarto die. Puellae 12 annor. ſemidrachmam, ſorori 8to annor. et puellae 6 annor. gr. XXV, et minimo natu 3 annor. gr. XV. pulv.

 rad.

rad Gei quater ſub electuarii forma quotidie offerre juſſi. 28uo paruulus ne minimam quidem ſanguinis guttam exſcreat. Caeteri rarius voment. 30mo nemini eorum a tuſſi vomitus excitatur. 4to Ianuarii multum decreſcit tuſſis, et violentia caret. 9no mitior eſt. Redit genis naturalis color, et corpori robur 12mo exigua tuſſis, nullam exigit medicinam.

Nvllvm noui medicamentum, quod pueri tam auide cupierunt, ac electuarium hoc. Radix enim Gei in electuarium redacta leni et jucundo aromatico gaudet ſapore, vt fauorem ſibi et gratiam tribui credant, quando eis porrigitur haec medicina, immo ipſi tempus, quo capiatur, obſervant et indicant, inde ſaepius accidit, vt majorem ſibi doſin, quam erat praeſcripta, expetiuere, et voti compotes, etiam hanc bene perferri poſſe, comprobarunt.

Tvssim conuulſiuam, epidemice graſſantem, neque hac vice, neque alia, vnquam vidi alternis diebus intentiorem, vti obſeruare Ill. Roſenſteinio licuit. Experientia praeeunte vno tenore omni proceſſit die, veſpere vero et mane, interdum etiam nocte, vehementius ſemper aggreſſa eſt, et diutius perrexit.

Haec ſunt, beneuole Lector! plurima, quae circa morbos collegi experimenta, et hac vice in vulgus edere ſuſtinui. Ad vim febrifugam hujus radicis vlterius probandam plures quidem afferre potui caſus; ſed allatos rem extra omnem dubii aleam poſuiſſe haudquaquam dubito. Ad vtilitatem vero ejus in caeteris morbis confirmandam et maximo aegrorum numero, et medentium plurium conjuncto opus eſt labore. Attamen huic operi perficiendo aptiſſima ſunt noſocomia. Medico enim in publico verſanti caute et circumſpecte agendum, ſi nomini et famae con-

sulat. Ab vnico igitur viro, praxin ruri vtplurimum exercente, non expectandae sunt tot casuum diuersitates, quot ad veritatem stabiliendam sufficiant. Quò etiam redit multarum obseruationum incertitudo ob aegrorum absentiam, qua fit, vt quotidiana eorum inspectio et examinatio obseruatori deficiat, et saepe vel falsa vel nulla de morborum mutatione aut euentu relata referant nuncii. Absit tamen, vt vllas afferrem historias, nisi vel earum veritas omnino mihi fuerit perspecta; vel ad aegrorum lectos earum testis fuerim oculatus. Experimenta instituat, qui de allatis adhuc dubium foueat. Satis hac vice me profuisse spero, dum viam, qua incedere opportet, monstrauerim, et morbos, quibus opponendum est pharmacum, indigitauerim. Plura, volente Deo, experta sensim congerere allaborabo, et quamprimum de iis, quae hucusque experientiâ non satis firma nituntur, majorem mihi certitudinem comparauerim, orbi litterato communicabo.

EX-

EXPERIMENTVM PRIMVM.

QVO VIS ANTISEPTICA RADICIS GEI INDAGATVR.

Visis, quos in intermittentibus aliisque morbis luculenter edidit radix noſtra, magnis et pulchris effectibus, cupidus eram videndi, quanto antiſepticitatis gradu corticem peruuianum vinceret, in quem finem 20mo Nouembris anni proxime elapſi vaſa tria vitrea, qualia ad pulueres et electuaria in officinis pharmaceuticis adhibentur, 6 vnciarum capacia, ad medium vsque aquâ calida impleui, his tribus aquae vnciis carnis bubulae drachmas II. adjeci, et quidem in vitrum, no 3 notatum, puluerem rad. Gei drachm. II, in

no. 2 puluerem corticis peruuiani drachm. II. et in tertium no. I. nihil immiſi. Vaſa haec chartâ, vinculo adſtricta, clauſi, et in moderato cubiculi calore reliqui.

Imo DIE.

No. 1. Ex carnis jam verſus veſperam pallidi ſanguine aquam habuit rubellam. No. 2. aquam exhibuit pallide flauo tinctam colore. No. 3. eandem obſcure rubro tinxerat colore.

IIdo DIE.

Nil praeter modo dicta obſeruatum.

IIItio DIE.

No. 1. Foetere incipit. In ſuperficie aqua multos albos gerit floccos, in fundo album colligitur ſedimentum.

IVto DIE.

No. 1. Aqua perquam turbida floccorum plena rubet ſqualide, in ſuperficie albam gerit pelliculam et valde foetet.

VIto

VIto DIE.

No. 1. Magis turbida cum craſſiori pellicula, quae in gyrum acta in magnos mutata eſt floccos. Foetor ingens. No. 2. pelliculam in ſuperficie contraxit, et bullulae paruae aëreae a fundo eleuantur.

VIImo DIE.

No. 1. Immodice foetet; color immutatus. No. 2. craſſiorem gerit pelliculam, et bullulae multae aëreae aſſcendunt; in gyrum acta mixtura magnas bullas emittere incipit.

VIIIuo DIE.

No. 2, Nouam poſuit pelliculam craſſam, et aqua floccorum plena. No. 3. multas in aquae ſuperficiem producit aëris bullulas.

IXno DIE.

No. 2. Mucidum aeris ſpirat odorem; pellicula noua tenuis in ſuperficie.

Xmo DIE.

No. 2. Nulla mutatio. No. 3. absque bullulis eſt.

XIIdo DIE.

No. 2. Putridus odor adeſſe apparet; Liquor turbulentior.

XIIItio DIE.

No. 2. Putridum effat caro odorem, quamuis adhuc ſatis firma.

XIVto DIE.

No. 1. longe lateque foetorem ſpargit, laxa caro et oedematoſa in aqua lauatur. Euacuatur vitrum.

XVto DIE.

No. 2. Foetorem valde putridum edit aqua turbida; caro tamen firma, et, vti antea, pallide flaua.

XVIIIuo

XVIIIuo DIE.

No. 2. minorem habet foetorem. No. 3. Immutata aquâ, adhuc pellucida, caro fupernatat firma et elaftica. Compreffa multas aereas bullas emifit, et iterum fundum petit.

XXIIdo DIE.

STATVS in ambobus immutatus.

XXIVto DIE.

No. 3. Aperto vitrô auram mucidam emittere videtur:

XXIXno DIE.

No. 3. Liquor adhuc pellucidus, odor mucidus, et mucoris punctum generatum in fuperficie liquoris natat.

XXXImo DIE.

No. 3. Augetur lente punctum mucidum, majorque et craffior euadit. Odor ingra-

ingratus, alienus; caro adhuc rubella et firma; liquor floccis abundat.

XXXIXno DIE.

No. 3. Crusta mucosa jam viridescens totam aquae pene tegit superficiem; odor mucidus, minus ingratus ac antea.

XLIIdo DIE.

No. 3. Crassior euadit crusta, quam detraxi; odor, vt antea, acido-mucidus. Caro adhuc firma, rubicunda, tenax et elastica. Liquor supernatans turbida.

XLIIItio DIE.

No. 2. Caro adhuc flauescens et satis firma aliquali elasticitate praedita est, et fundum in aqua petit; odor tamen putridus, et valde ingratus. Abjecta est.

XLVIIIuo DIE.

No. 3. Aliam nouam deinde non generauit pelliculam vel mucorem. Liquor

tur-

turbidus. Caro putridum ſpirat odorem, quamuis in fundo vitri jacet, et firma et elaſtica eſt, et rubicundum hucusque ſeruauit colorem. Rejecta eſt.

EXPERIMENTVM IIDVM.

Die 13mo Iulii carnis ouillae fruſta duo, quouis drach. II. ponderante, in vitra duo immiſi, et aquae calidae vnc. I. cuilibet fruſtulo affudi, deinde calori ſolis in feneſtra expoſitis vitris putrefactionem carnis expectaui, quae 20mo ejusdem adfuit. Tunc pulueris cort. peruu. drach. mis II. in vnum, et pulueris rad. Gei dr. II. in alterum vitrum immiſſis aquae calidae vncias II. infundens, addito tandem carnis putreſcentis et laxae fruſtulo, ex

ex aqua putrida demto, vaſa charta tecta in feneſtra reliqui. Vas corticem ſeruans No. 1. et vas radicem continens No. 2. notaui.

Imo DIE.

No. 1. Minorem habet foetorem, caro laxa, fermentatio infuſi viuida.

No. 2. Foetidum adhuc ſpirat odorem, caro firma.

IIdo DIE.

No. 1. Fermentatio continuat, caro flaueſcens firmior quidem foetorem tamen putridum adhuc ſpergit. No. 2. Caro firmiſſima, rubicunda, foetidum et nauſeoſum edit odorem.

IIItio DIE.

No. 1. Fermentat adhuc liquidum, et putride olet caro. No. 2. Paucae adſcendunt bullulae aërea in liquidi ſuperficiem; odor adhuc mucidus, ingratus.

IVto

IVto DIE.

No. 1. Caro flauescens in aqua pura lota bonam quidem habet consistentiam, odor tamen ingrate putridus. No 2. In aqua lota caro naturalem suum ostendit rubrum colorem, et perfecte correcta odorem gratum, caryophyllaceum, spirat.

In aere deinde suspendi ambo carnis frusta, quae exsiccata corii duritiem sunt adepta, factaque simul fragilia. Caro infuso radicis Gei correcta gratum diu seruauit odorem, infuso Corticis vero praeseruata, odorem ingratum post aliquot dies amisit. Liquores cum pulueribus in fenestra sine tegmine soli aërique deinde expositi, omni vapore exhalato, pulueres siccos reliquerunt, quorum ille Corticis mucore vbiuis fuit obductus, etiam in minimis rimis, et odor ejus mucosus, illi vero Radicis et color et odor natura-

 lis

lis et gratus fuit absque mucositate. Ambo post menses II. inodori euasere.

Captis his experimentis nemini non patet, magna non solum antiseptica virtute gaudere radicem Gei, sed corticem peruuianum etiam longe superare; primo, enim experimento constat, quod 9no die mucidus liquori corticis adfuerit odor, et 12mo putredinis signa, ne dicam, quod 6to jam dudum generata sit pellicula; in radicis e contrario liquore 24to die prima mucoris signa olfactui oblata sunt sine praegressa pellicula, superficiem tegente; natum vero punctum mucidum 29no ad diem vsque 42dum increuit, et lenta secuta est putredo, nares modo mitius feriens 48uo die. Collatis cnm nostro, quae *Ill. Collinus* multiplici et vario modo instituit experimenta (*a*), vltro patet, nostram non

(*a*) Arnicae in febribus vires.

non parem modo, verum etiam ſuperiorem eſſe radici arnicae, quam omnibus hucusque notis exoticis medicamentis, ex regno vegetabili deſumptis, vi antiſeptica ſuperiorem dixit *Collinus* (*b*). Hoc etiam ante factum experimentum opinione auguratus ſum experientia inprimis edoctus, quam efficax paruula ejus doſis in morbis ſe praebuit. Ejus etiam vſum, tacente quamuis experientia, in febribus putridis et malignis fore fructuoſum a poſteriori concludere et praedicere audeo; nam intermittentibus ſolummodo febribus natam hanc praeſtantem radicem ratiocinio repugnare videtur.


Ita huic finem laete impono opuſculo, Numini Diuino maximas agens gratias, qui repertum hoc è Tenebris in

I 2 lucem

(*b*) Loco cit. pag. 157.



lucem mortalibus vocauit remedium; vtinam ſaluti multis fiat miſeris! ſic tentamina ſpem non fruſtraſſe meam; ſic oleum et operam me non perdidiſſe; ſic debitum, quamuis non omne, ciui cuique bono incumbens, me ſoluiſſe, et generi humano non parum profuiſſe, maximopere gaudeo.



OB-

OBSERVATIONES NONNVLLORVM MEDICORVM HAVNIENSIVM.

I. ILL. D. D. AASKOW, ARCHIATRI REGII.

De mirabili efficacia noui febrium intermittentium specifici, certitudine Cortici Peruuiani haud inferioris, ab Experientissimo BVCHHAVE, amico et sodali nostro aestumatissimo indagati, certior factus, maximo flagraui desiderio, virtutem illius in propria mea praxi experiundi. Defuit autem vel ipsum remedium vel occasio illud tentandi. Repetitis interea casteque institutis a Celeberrimo coniunctissimoque BANGIO in Nosocomio Fridericiano experimentis, iisque comprobata et euicta huius medicinae vi genuina specifica, praestantissimus ejus inuentor, eo,

qui Viris ingenuis et magnanimibus proprius eſt, candore artisque non ſecus ac patriae amore ductus arcanum ſuum coram Societate medica noſtra reuelauit, methodum illud adhibendi, frequenti experientia ſtabilitam indicauit, ſodalesque reliquos vt tentamina inſtituere, et quae obſeruarent, ſibi impertire velint, rogauit. Mihi quidem ob temporis breuitatem ſequentes tres tantummodo curationes adnotare licuit, quarum primam eamque plenius enarratam iamiam cum Societate medica communicauit Cl. STRAETT, Medicinae cultor ſollertiſſimus mihique in praxi clinica ad manus.

1. Ancilla 20 annos nata Quartana laborabat, cujus paroxysmi conuulſionibus alterutrius lateris ſtipati erant. Praemiſſis emeticis et ſoluentibus porrectus eſt puluis radicis Gei vrbani ad drachmas Vj, inter binos paroxysmos ingerendus. Cohibi-

hibitus eſt paroxysmus vna cum conuulſionibus et per tres inde elapſas ſeptimanas optime valuit puella.

2. Auriga Quartana per ſex hebdomades adflictus erat, quae remediis celebratiſſimis aliquantiſper quidem conſopita, numquam autem plane fugata erat, ſed iterum iterumque redierat et recruduerat. Adhibitis deinde decantatiſſimis ſoluentibus nequidquam cedebat. Propinata vero pulueris noſtri vncia vna, nullus rediit paroxysmus; attamen, quum pluſculi tantummodo dies poſt hanc curationem praeterlapſi ſint, circa recidiuam in hoc caſu adhuc nihil certi pronunciare valeo.

3. Ancilla, quae vere ſuperiore Tertiana rebelli laborauerat, hoc iterum autumno Quartana correpta eaque per X hebdomades conflictata eſt. Sumſerat puluerem ex Cremore Tartari, Sale ammo-



niaco et Rhabarbaro: tum emeticum ex Ipecacuanhae gr. XV et Tartari emetici gr. ij cum ſale medio, vnde parum vomuerat. Praeſcribebatur deinde puluis Gei vrbani, ad vnciam vnam inter binos paroxysmos degluriendus. Rediit paroxysmus, at multo ſerius, mitiorque ſimul et breuior. Sequens alter iterum vehementia et duratione minor: tertius autem ex errore diaetetico denuo grauior; quartus etiam grauis, vnde alia in vſum vocare conſtitui.

Haec ſunt quae comperi, quae me judice noui remedii efficaciam in ipſa comprobant Quartana. Hanc omnino majorem certioremque fore non dubito, ſi juſto tempore collecta radix debita cum cautela exſiccetur. Quam nos adhibuimus, ſerius collecta neque rite ſiccata, hinc aromatici, grati et efficacis minus habet, quam quae ad mentem Celeberrimi inuentoris

exe-

exeunte vere vel ineunte aeſtate colligitur et moderato calore ſiccatur.

GRATVLAMVR itaque Viro Experientiſſimo de nouo Corticis febrifugi ſuccedaneo: gratulamur arti et patriae de inuento remedio indigeno, quod fortaſſe morborum intermittentium, neruoſorum, putridorum &c. aeque certum domitorem ſeſe praeſtabit, ac ipſe diuinus dudum ſalutatus Cortex Chinae. Faxit Deus O. M. vt vlteriora hujus remedii tentamina Inuentoris experientiae reſpondeant! Quantae debentur laudes quantaque praemia viro qui non ſolum remedium indagauit tamdiu ab omnibus exoptatum, verum etiam, propriae crumenae minus ſtudens quam publico bono artisque incremento, praeſtantiſſimum arcanum aperuit!

II. D. D. CALLISEN,

CHIR. PROF. PVBL.

Remedivm ab Experientiſſimo et amiciſſimo D. BVCHHAVE mihi oblatum, puluerem nempe Gei vrbani, in Noſocomio nautico in vſum vocaui. Porrexi illud tribus claſſiariis danicis, duobusque ruſſicis, Tertiana laborantibus. Rite purgatis primis viis tempore apyrexiae deuorarit quisque V drachmas pulueris, vnde paroxysmus inſtans cohibitus. Sumſerunt deinde ter in die ſcrupulum vnum; poſt hebdomadem puluerem ſepoſuerunt a febre plane immunes.

In propria praxi clinica idem remedium propinaui duobus viris cum Quartana confliƈtantibus. Horum alter morbo

jam

jam per IV menſes laborauerat, magnam Corticis peruuiani copiam ſine vllo emolumento deglutiuerat, ſumta autem omni bihorio drachma dimidia pulueris Gei eademque doſi corticis, fugata eſt febris. Perrexit remedii vſum, majoribus tamen interuallis. At tertius paroxysmus iterum ſeſe manifeſtauit: an errore diaetetico commiſſo, nec ne, neſcio. Denuo in vſum vocatus eſt puluis Gei et Chinae eadem ratione ac antea, ſed meliore cum ſucceſſu: febris enim per integrum menſem jam ſiluit.

III. D. D. BANG,

REG. NOSOC. FRIDER. MEDICI.

Pvblia 19 annorum menſis ſpatio febre continua cum exacerbatione quotidiana veſpertina laborabat, per de-

coc-

coctum corticis peruuiani mutabatur haec in febrem tertianam regulariter intermittentem, quae continuato licet adlato decocto persistebat. Dedi ideo puluerem Gei vrbani ad drachma dimidiam quater indies, quo per quatriduum adhibito omne febris vestigium deletum fuit.

Altera 30 annorum post febrem putridam grauem deuictam correpta fuit febre tertiana, quae vsu pulueris corticis peruuiani tollebatur, post aliquot autem dies redeunti febri opposui puluerem Gei scil. drachmam dimidiam ter in die per quatuor dies, posteaque sine reditu febris sese in omnibus bene habuit aegrota.

Vir 32 annorum mensis spatio laborauit tertiana duplici, quae post adhibita

dige-

digeſtiua cortice peruuiano partim in decocto partim in puluere oppugnabatur, ſed incaſſum ita, vt febris loco typi regularis erratica facta fuerit; refugium ideo habui ad puluerem Gei, qui trihorio exhibitus per quatuor dies febrem omnino fugauit. Apud hunc aegrotum, quod non in aliis obſeruaui, ſudor largiſſimus vſum dicti remedii ſequebatur.

Qvadrimvla pluribus hebdomadibus tertiana febre afflicta aliquoties per corticem ſanata fuit, iterumque recidiuam febris paſſa, quapropter puluis Gei vt in allatis exemplis propinatus fuit, eo cum effectu, vt febris ceſſauerit nec poſtea redierit.

Remedivm hoc tantum diebus apyretis datum fuit apud omnes allatos aegros;

aluum

aluum ſub illius vſu nec debito laxiorem nec ſtrictiorem obſeruaui.

IV. D. D. SCHOENHEYDER,

AD INSTITVTVM PTOCHOTROPHICVM MEDICI.

PVLVEREM Gei ſub forma electuarii dedi puero octenni, tuſſi conuulſiua V hebdomadum conflictanti. Sumſit cochlearis minoris menſuram quater in die. Egregie inde mitigata eſt tuſſis, omniaque citiorem, ac fieri ſolet, reconualeſcentiam promittunt.

V. D. D. TODE,

MED. PROF. P.

ANNO ſuperiore ancilla Quartana laborauerat per ſex menſes. Multis remediis incaſſum adhibitis, meum petit conſilium. Praeſto erat pulueris ſpecifici ſemuncia, quam ab inuentore hujus medicinae, Experi-

perientiſſimo BVCHHAVE tentaminis inſtituendi gratia acceperam Hunc puluerem in octo doſes partitum ante tempus proximi paroxysmi ſumendum dedi. Triduum poſt rediit ancilla gratiasque egit pro remedio tam efficace, quippe quod febrim fugauerat. Poſtea hanc ancillam non amplius vidi; certus tamen eſſe poſſum, illam ad me fuiſſe recurſuram, ſi recidivam paſſa fuiſſet.

SEQVENTIS curationis non auctor quidem ſed teſtis ſum. Auriga Perill. D. Conſiliarii et praefecti aulae, annos XXII natus, per triennium cum febre quartana conflictatus erat.

CORTEX peruuianus praeter inducias aliquot hebdomadum nihil boni praeſtiterat. Hoc remedio nuper adhibito, loco febris

ſolito

ſolito paroxysmi tempore dolores violenti totum inuaſerunt corpus. Tunc Perill. Conſiliarius cui jam innotuerat nouum ſpecificum Buchhauianum, proprio Marte vnciam pulueris praeſcribit. Hoc hebdomadis ſpatio conſumto optime habuit aegrotus, atque doloribus illis periodicis nunc per III hebdomades immunis fuit, neque tamen a colore quodam auriginoſo illis familiari, qui febres intermittentes diuturnas paſſi ſunt; in abdomine autem nullus tumor deprehendi poteſt, aluus naturalis, ciborum appetitus validus.

Dvm haec typis mandantur, Quartanam bimeſtrem in auriga regio Gei puluis ſuſtulit.



CAVTELAE.

1. In noſtro climate non prius eruendeae ſunt radices Gei urbani, quam ſolis calore excitata planta creſcere incepit, quod menſe Aprilis in Dania fieri, collectionesque inde ad vltimum Julii inſtitui poſſe obſeruando didici. Quae caeteris menſibus effodiuntur radices minori gaudent virtute, minorique aromatico odore et ſapore.

2. Characterem radicis ſpecificum et genuinum dat medulla violacea, qua diſcrepat a Gei riualis radice, quae medullam albam, et radicem repentem longam, paucis inſtructam fibris, habet. Folia enim radicalia ambarum, cum facie externa parum a ſe differant, et in vicinia haud raro creſcant, a rei imperitis facillime confundi poſſunt.

3. Radici effoſſae, et, mediante aqua aliquoties renouata, a terra, aliisque alienis adhaerentibus, purgatae, reſecanda ſunt folia radicalia ad medullam vsque

radicis violaceam; in loco deinde frigido, ſicco, aëri, non vero radiis ſolis expoſito, torrefaciendi gratia reponantur radices, quo lenta et frigida euaporatione medicatrices retineantur vires; nimio enim calore, ſiue ſolis ſiue fornacis, gratum et efficax auolat aroma.

Explicatio Iconis:

a) Radix fibroſa, integra.

b) Eadem longitudinaliter diſſecta, medulla violacea inſtructa, cortice albo.

c) Eadem horitzontaliter reſecta cum medulla violacea.

d) Folia radicalia lyrata.

e) Folia caulina alterna, ternata, cum ſtipulis dentatis.

f) Eadem minora, ſimpliciora.


g) Corolla a latere conſpicua cum calice.

h) Eadem explanata.

i) Flos nondum eruptus.

k) Receptaculum cum ſeminibus in capitulum congeſtis.

l) Semen maturum cum ariſta vncinata.




CORRIGENDA.

Pag.	13.	lin. 15.	tum, deleatur.		
—	19.	— 22.	dtaur,	lege:	datur.
—	21.	— 18.	methode	—	methodo.
—	26.	— 9.	extinguere	—	extinguit.
—	29.	— 6.	felices, adde: in.		
—	-	— 21.	latum,	lege:	elatum.
—	33.	— 9.	vespero	—	vespere.
—	-	— 10.	vespero	—	vespera.
—	42.	— 6.	intercalaris	—	intercalari.
—	47.	— 3.	paroxysmus	—	paroxysmum.
—	-	— 9.	labolauerat	—	laborauerat.
—	49.	— 6.	bihorni	—	bihorio.
—	-	— 13 14.	ſolueebatur	—	ſoluebatur.
—	53.	— 2.	quatert	—	quater.
—	54.	— 7.	aegrotaueret	—	aegrotauerat.
—	-	— 18.	ſeptimanus	—	ſeptimanas.
—	57.	— 11.	cephalalgiae	—	cephalalgicae.
—	58.	— 7.	que	—	quo.
—	-	— 17.	quotidiani	—	quotidiana.
—	59.	— 5.	valetuuine	—	valetudine.
—	62.	— 1.	qui, adde: ſub.		
—	-	— 2.	indorſo,	lege:	in dorſo.
—	63.	— 15.	eſt	—	et.
—	67.	— 6.	opſeruaui	—	obſeruaui.
—	68	— 11.	innoturi	—	inuotuit.

Pag.

Pag. 70.	lin. 9.	12mo,	lege:	11mo.
— 71.	— 18.	veſperam	—	veſpera.
— 77.	— 10.	continue	—	continuo.
— 81.	— 6.	veſpera,	adde:	ad.
— -	— 8.	deinde	—	poſt.
— 87.	— 14.	et, deleatur.		
— -	— -	ceſſat,	lege:	ceſſauit,
— 88.	— 13.	expediit	—	expetiit.
— 93.	— 2.	Gei,	adde:	quater.
— 105.	— 8.	nota,	lege:	nata.
— 112.	— 14.	27mo	—	17mo.
— -	— 15.	ſpuĉto	—	ſputo.
— 113.	— 1.	5to,	adde:	Januarii.
— 116.	— 16.	vehementen,	lege:	vehementem.
— 117.	— -	exhibitae	—	inſtitutae.
— 122.	— 7.	pallidi	—	pallidae.
— 124.	— 8.	effat	—	efflat.
— -	— 12.	lauatur	—	leuatur.
— 128.	— 13.	ſpergit	—	ſpargit.





Geum Urbanum.